X

P in Cathalogo

DECAS LITANIARUM
&
PSALTERIUM.

MAGNÆ MATRI DEIPARÆ V.

MARIÆ

Subiectis varijs devotionibus eiusdem,

A. R. P. DIONYSIO ŁOBŻYNSKI,
Ord: S. PAULI Primi Eremitæ
Provinciæ Polonæ Secretario;

PP. Camald. *In gratiam* Insulæ Vigren

Sacram Ædem DIVÆ
CLAROMONTANÆ CZESTOCHOVIENSIS
visitandum,

CONCINNATUM,
Nunc tertiò in lucem publicam datum,
Superiorum permissu.

Typis Clari Montis Częstochoviensis,
Anno Domini 1693.

GENS, & REGNUM, quod non ſervierit tibi (MARIA) peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.

Iſaiæ 60. v. 12.

Beatam me dicent omnes Generationes.

Lucæ 1.

Quidquid in laudem Matris proferimus, ad Filium pertinere volumus.

S. Bernardus.

PROSPHONEMA MARIANUM.

AUgustissima Virgo Deipara, Magna Mater, repræsento ad pedes throni Tui Virginei, hoc quidquid est exigui munusculi, magnitudini Nominis Tui maximè impar. Hanc inquam, Decadē, tanquam symbolum infinitæ Tuæ dignitatis, secundum Dei cuius Mater es, infinitatem, maximè æmulę offero, ad Tuam, Filijquæ Tui immortalem gloriam. Opto simul ac precor, ut ex Decade hâc, tanquam basi cubicâ, Chiliades Myriadum, & Myriades Chiliadum, præconiorum & Laudum Tuarum exsurgant. Audies hic virtutum encomia, titulosq; Tuos; à SS. Patribus, iure meritissimò multis nominibus Tibi debitos. Fac etiam, ut qui Te laudabunt, horum Elogiorum Tuorum Emblematis & Lemmatis, in honorem Tuum ac cultum animentur; in admiratione Tui & commemoratione obstupescant; & demum in amorem imitationemque serij inflammentur. Experiantur gratiarum Tuarum & charismatum ubertimis, suffulti suffragijs, in Te veneranda, & imitanda, se pretium operę suæ retulisse efficacissimum; iuxtà & copiosissimum. Et quia cultus Tuus MARIANUS, Divinæ prædestinationis est signum; Effice potentissimo Tuo interventu, ut qui in terris Te Tuorum Encomiorum Titulis venerantur, Tuæ gloriæ in cælis congratulentur, ac perfruantur diuturnè.

Theophilus Marianus

ENCOMIA LITANIARUM

CUm dicimus Litanias, non humanis verbis, sed oraculis Spiritus Sancti DEUM placamus.

S. Basilius in Epist: 63.
Anno 300.

S. Sergium Pontificem Maximum, quatuor Festis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis Beatæ Virginis MARIÆ Litanias assignasse.

Anno 689.. testis Sigebertus.

PROINDE.

QUidquid in laudibus Matris proferimus, ad filium volumus pertinere.

S. Bernardus Homil: 4.
super Missus est.

LITANIÆ PRIMÆ.

ANTIPHONA.

Aue MARIA, *gratia plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus Fructus Ventris tui.*

KYrie eleiſon: Chriſte eleiſon,
Kyre eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS Miſerere.
Sancta TRINITAS unus DEUS, Miſerere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis,
Sancta DEI genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancta MARIA ab æterno ordinata,
Sancta MARIA inter omnes præelecta,
S. Maria Patribus cœlitus promiſſa,
S. Maria myſticis præfigurata miraculis
S. Maria oraculis prænũtiata Prophetis,
S. Maria ſine peccato Concepta,

Ora pro nobis

S. Maria regali progenie exorta,
S. Maria in templo præsentata,
S Maria ab Angelo humiliter salutata,
S. Maria gratia plena,
S. Maria inter mulieres benedicta,
S. Maria Spiritu S. obumbrata, (tasti,
S. Maria Quæ Elisabeht cognatam visi-
S. Maria Quæ Filium Tuum in Bethle-
em genuisti,
S. Maria à pastoribus cũm Filio invẽta,
S. Maria cum Filio tuo à Magis mune-
ribus honorata, (iecta,
S. Maria legi Purificationis sponte sub-
S. Maria Ægiptum cum Filio ingressa,
S. Marta ex Ægypto in Nazaret reversa,
S. Maria cum Filio dulciter conversata,
S. Maria quæ Filium triduo quæsivisti,
S, Maria quæ Filiũ in Templo invenisti,
S. Maria deficiente vino, Filium de-
precata,
S. Maria quæ stabas juxta Crucẽ Filij,
S. Maria Virgini Ioanni commendata,
S. Maria doloris gladio transfixa,
S. Maria Filij Resurrectione exhilarata,
S. Maria in die Pentecostes Spiritu S.
repleta,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

S. Maria

S. Maria Spiritualibus delicijs affluens,
S. Maria ſuper Dilectum tuum innixa,
S. Maria ſuper Coros Angelorum exaltata.
S. Maria duodecim ſtellis coronata,
S, Maria à dextris Filij adſtans,
S. Maria in veſtitu de aurato varietate circumdata,
S. Maria cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur,
S. Maria cuius vultum deprecantur omnes divites plebis,
S. Maria cunctis generationibus beatiſſima prædicata,

Ora pro nobis.

S. Maria Advocata noſtra,
S. Maria DEI, & hominum Mediatrix,
S. Maria cunctas hæreſes ſola interimẽs,
S. Maria Domina Angelorum,
S. Maria decus Patriarcharum,
S. Maria vaticinium Prophetarum,
S. Maria præconium Apoſtolorum,
S. Maria confortatrix Martyrum,
S. Maria exemplar Confeſſorum,
S. Maria lumen Virginum,
S. Maria Regina Sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

A cunctis periculis Libera nos Virgo gloriosa.
Per Immaculatam Conceptionem tuã,
Per sanctam Nativitatem tuam,
Per verabilem Præsentationem tuam,
Per admirabilem Anuntiationem tuam,
Prr mundissimam Purificationem tuam,
Per gloriosam Assumptionem tuam,
Libera nos Virgo gl.
Peccatores, Te rogamus audi nos
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris, Terogamus audi nos.
Vt Ecclesiam sanctæ, cunctoque populo Christiano pacem & veram concordiam impetrare digneris, Terogamus.
Vt fidei, spei, & charitatis augmentum nobis impetrare digneris, Terogamus.
Vt omnibus fidelibus Defunctis requiem æternam impetrare digneris, Terog:
Mater DEI, Te rogamus audi nos.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster &c. Aue Maria &c.

HYMNUS.

MEmento salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata Virgine,
Nascendo formam sumpseris.
Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula, Amen.

℣. *Angelus Domini nuntiavit Mariæ.*
℟. *Et concepit de Spiritu Sancto.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

BEatæ & gloriosæ, semperq; Virginis MARIÆ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Anem.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

O Domina Mea Sancta MARIA me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem spem, & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam Sanctissimam intercessionem, & per tua merita omnia mea dirigantur, & dispo-nantur opera secundum tuam, tuiq; Filij voluntatem, Amen.

LITA-

LITANIÆ II.

ANTIPHONA.

Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui IESUS *Christus.*

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus,
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas vnus Deus,
Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum.
Maria caput ſerpentis conterens.
Maria lucerna inextincta,
Maria terra Sacerdotalis immunis,
Maria Stella Iacob,
Maria candelabrum aureum,
Maria virgula fumi ex vniverſis aromatibus,
Maria mons Domini in vertice montium præparatus,
Ora pro nobis.

Maria mulier circumdans virum,
Mari, Vas aurium cæleſte manna
continens,
Maria, Terra germinens Salvatorem,
Maria. Virga florens Aaron;
Maria, Menſa panis propoſitionis,
Maria, Mons, de quo ſine manibus
abſciſus eſt lapis,
Maria, Aquęductus cæleſtiũ gratiarum
Maria, Arca Noe ſalutaris,
Maria, Scala Iacob,
Maria, Paradiſus voluptatis,
Maria, Lignum vitæ,
Maria, Domus Sapientiæ,
Maria, Deſideriũ collium æternorum,
Maria, Civitas refugij,
Maria, Gloria Ieruſalem,
Maria, Sanctuarium Dei,
Maria, Altare Thymiamatis,
Maria, Speculum ſine macula,
Maria, Lilium inter ſpinas,
Maria, Rubus ardens incombuſtus,
Maria, Vellus Gedeonis,
Maria, Thronus Salamonis,
Maria, Favus diſtillans,
Maria, Hortus concluſus,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Maria

Maria, Fons ſignatus,
Maria, Navis inſtitoris de longe
portans panem,
Maria, Aurora conſurgens,
Maria, Pulcha ut Luna,
Maria, Electa vt Sol,
Maria, Caſtrorum acies ordinata,
Maria, Solium gloriæ Dei,
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.

Pater noſter. Ave Maria.

HYMNUS.

QVem terra pontus æthera,
Colunt, adorant, prædicant:
Trinam regentem machinam:
Clauſtrum Mariæ baiulat.

Cui Luna, Sol, & omnia,
Deserviunt per tempora:
Perfusa cæli gratia,
Gestant puellæ viscera,
Beata Mater munere,
Cuius supernus artifex:
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.
Beata cæli nuncio,
Fœcunda Sancto Spiritu:
Desideratus gentibus,
Cuius per alvum fusus est.
Gloria tibi Domine,
Qui natus est de Virgine:
Cum Patre & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula, Amen.

℣. *Benedicta tu in mulieribus,*
℟. *Et benedictus fructus ventris tui.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

PIetate tua quæsumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, & intercedente Beata MARIA cum omnibus

Sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores, atque loca nostra, in omni sanctitate custodi, omnesque consangvinitate, affinitate, atque familiaritate nobis coniunctos â vitijs purga, virtutibus illustra: pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & invisibiles remove: carnalia desideria repelle aërem salubrem, & fertilitatem indulge, amicis & inmicis nostris charitatem largire, atque civitatem cum omnibus in ea habitantibus ab omni peste, infideliumque feritate, & potentia illæsam conserva, & omnibus fidelibus vivis & defunctis, in terra viventium, vitam, & requiem æternam concede: & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

AVe Sanctissima MARIA Mater Dei, Regina cælorum porta Paradisi, Domina mundi. Tu es singularis Virgo pura: Tu concepisti IESUM sine peccato: Tu peperisti Creatorem, & Salvatorem mundi, in quo nos non dubitamus. Ora pro nobis IESUM, tuum dilectum Filium

ut liberet nos ab omnibus præteritis, præsentibus & futuris malis, Amen.

LITANIÆ III.

ANTIPHONA.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spirtus Sanctæ Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, Ora pro nobis.
Virgo Mitis, Ora pro nobis.
Virgo Clemens, Ora pro nobis.
Virgo Humilis, Ora pro nobis.
Virgo Devota, Ora pro nobis.

Virgo Fidelis,
Virgo Fœcunda,
Virgo Immaculata,
Virgo Ineffabilis,
Virgo Glorioſa,
Virgo Miſericors
Virgo Inclita,
Virgo Mirabilis,
Virgo Obediens,
Virgo Perpetua,
Virgo Præclara,
Virgo pudica,
Virgo Regina,
Virgo Sancta,
Virgo Sobria,
Virgo Venerabilis,
Virgo Auguſtiſſima,
Virgo Caſtiſſima,
Virgo Digniſſima,
Virgo Florentiſſima,
Virgo Honeſtiſſima,
Virgo Sereniſſima,
Virginum Corona,
Virginum Decus,
Virginum Gloria,
Virginum Dignitas,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis

Virgi-

Virginum Mater,
Virginum Regina,
Virginitatis Flos,
Virginitatis Imago,
Virginitatis Honor,
Virgo & Sponſa,
Virgo & Mater,
Virgo Dei genitrix, *Ora pro nobis.*
A cunctis periculis, Libera nos Virgo.
Per Immaculatam Conceptionẽ tuam,
Per Sanctam Nativitatem tuam,
Per Venerabilem Præſentationẽ tuam,
Per Admirabilẽ Annunciationem tuam,
Per mundiſſimam Purificationem tuam,
Per glorioſam Aſſumptionem tuam, *Libera nos Vir:*
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris,
Vt Eccleſiæ, cunctoque populo Chriſtiano pacem, & concordiam impetrare digneris,
Vt fidei, ſpei, charitatis augmentum nobis impetrare digneris,
Vt omnibus fidelibus Defunctis requiem æternam impetrare digneris, *Te rogamus audi nos.*

Mater

Mater Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine,
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.

Pater noſter. Aue Maria.

HYMNUS.

Ave maris ſtella,
Dei Mater alma:
Atque ſemper Virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Aue,
Gabrielis ore:
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.
Solve vincla regis,
Profer lumen cæcis:
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces:
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis:
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum:
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus:
Spiritui Sancto,
Tribus honor vnus, Amen.

℣. *Poſt partum Virgo inviolut a permanſiſti,*
℟. *Dei genitrix intercede pro nobis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEUS qui Virginalem aulam B. Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæſumus, vt ſu-

nos

nos defensione munitos, iucundos faciat suæ interesse commemorationi. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ad B. Virginem MARIAM.

AVe Virgo virginum, salus in te sperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum: Aue Virgo immaculata singularis Beatæ Trinitatis amica: Virgo humillima, Virgo Deo gratissima. Irradia quæso, intima mentis meæ serenissimo vultus tui splendore, vt in te delectetur, & exultet cor meum. Trahe me post te, ut curram alacriter in odorem vnguentorum tuorum. Lætifica spiritum meum, ô benigna, ut hilariter tibi serviam, & ex intimis visceribus te diligam. Te amet, te veneretur, tibi benedicat anima mea, omni tempore, ô Virgo Maria, Amen.

LITANIÆ IV.

ANTIPHONA.

Salve Sancta Parens, enixa puerpera Regem: qui cælum terramq́ regit, in sæcula sæculorum.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus Miſerere.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Dei Beata,
Mater Altiſſimi,
Mater Verbi,
Mater Chriſti,
Mater Redemptoris,
Mater Salutis,
Mater Luminis,
Mater Miſericordiæ,
Mater Gratiæ,

Ora pro nobis.

Mater Pulchræ, dilectionis,
Mater Vitæ cæleſtis,
Mater Sanctæ ſpei,
Mater Veritatis,
Mater Vitæ æternæ,
Mater Futuri ſæculi,
Mater Viventium,
Mater Honoris,
Mater Cæleſtis patriæ,
Mater Gaudij,
Mater Viduarum,
Mater Orphanorum,
Mater Pauperum,
Mater Afflictorum,

Ora pro nobis.

Mater Omnium ad te confugientium,
Mater Manſuetorum,
Mater Humilium,
Mater Lugentium,
Mater Pacificarum,
Mater Pœnitentium,
Mater Filiorum Dei.
Mater Iuſtorum omnium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater noſter. Ave Maria.

HYMNUS.

Bona Mater, per quem Frater
Nobis noſter auctor eſt:
Qui reatus expiatus,
Ex qua DEUS *natus eſt.*
Jlla Mater eſt, tu Frater
Magnus ſuper alios:
Fide firma, tu confirma
Fratres, illa filios.
Bona Mater, & tu Frater
Bone noſter Domine:
Tu MARIA, *tu Meſſia*
Nate pia Virgine.
Ambo mites, ambo dites
In miſericordia:
Charitate nos ligate,
Nobis date gaudia.
Quod iubetis, id docetis,
Malis ſpretis agere:

Quod

Quod amatis, tribuatis
Vivis factis, colere.
Bone Frater, bona Mater,
Ambo semper placidi:
Amovete, & arcete,
Fraudes hostis perfidi.
Pater Decus, Fili Decus,
DEUS alme Spiritus.
Per æterna, nos guberna,
DEUS vnus sæcula, Amen.

℣. *Genuisti, qui te fecit.*
℟. *Et in æternum per manes Virgo.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEUS, qui de Beatæ MARIÆ Virginis vtero, Verbum tuum Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, vt qui vere eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

O Excellentiſſima, glorioſiſſima ſemper Mater ac Virgo Deipara Domini noſtri IESU Chriſti, quæ nullum derelinquis, nullum deſpicis, nullum, qui ad te puro & humili corde recurrit, deſolatū dimittis. Noli derelinquere me, propter nimias iniquitates meas, nec me, famulum tuum, à gratia & amore tuo, abijcias. Exaudi, Mater Sancta, me miſerum peccatorem N. in tua miſericordia, & pietate confidentem. Succure mihi, pijſſima Dei Mater, in omnibus tribulationibus, anguſtijs, & neceſſitatibus meis: & impetra mihi à dilecto Filio tuo virtutem, contra omnes tentationes huius mundi, carnis & diaboli; impetra mihi, remiſſionem omnium peccatorum, emendationem vitæ, ſpacium veræ penitentiæ, augmentum virtutum, gratiam timoris, ſanitatem animæ, & corporis caſtitatem: Illo auxiliante, quem in tuo Sanctiſſimo vtero novem menſibus portaſti, & in præſepe tuis Sanctis manibus reclinaſti Dominum noſtrum IESUM Chriſtum Filium

tuum

tuum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

LITANIÆ. V.

ANTIPHONA.

Virgo DEI *Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera, factus homo.*

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miſerere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta DEI genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Mulier Sancta & puderata, Ora.
Mulier fortis, Ora.
Mulier ſapiens, Ora.

Mulier timens DEUM,
Mulier verba filij in corde conſervans,
Mulier amicta ſole,
Delicijs ſpiritualibus affluens,
Deliciæ filiorum hominum,
Deliciæ Paradiſi DEI,
Deliciæ filiarum Ieruſalem,
Deliciæ regni cæleſtis,
Arca novi Teſtamenti,
Arca æterni Regis,
Arca ſanctificationis,
Caſtellum IESU,
Cedrus exaltata in Libano,
Civitas DEI,
Columba unica,
Columba formoſa,
Columba Noe ferens ramum olivæ,
Decor ſicut Ieruſalem,
Ianua clauſa,
Lampas ardentiſſima,
Margarita pretioſa,
Nardus, quæ dedit odorem ſuum,
Nubes levis,
Nubes candida,
Oliva fluens,
Oliva fructifera in domo DEI,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Oliva ſpecioſa in campis, Ora.
Palma ad fontes aquarum, Ora.
Palma iuſtitiæ, Ora.
Palma in manibus Sanctorum, Ora.
A cunctis periculis, Libera nos Virgo.
Per immaculatam conceptionem tuam, Libera nos Virgo.
Per ſanctam Nativitatem tuam, Libera nos Virgo.
Per venerabilem Præſentationem tuam, Libera nos Virgo.
Per admirabilem Annuntiationem tuam, Libera nos Virgo.
Per mundiſſimam purificationem tuam, Libera nos Virgo.
Per glorioſam Aſſumptionem tuam, Libera nos Virgo.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut veram pœnitentiam nobis impetrare digneris, Te rogamus.
Ut Eccleſiæ ſanctæ, cunctoq́; populo Chriſtiano pacem, & veram concordiam impetrare digneris, Te rogamus.
Ut fidei, ſpei, & charitatis augmentum nobis impetrare digneris. Te rogamus.
Ut omnibus fidelibus defunctis, requiem

æternam impetrare digneris, Te rog.
Mater DEI, . Te rogamus audi nos.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.

Pater noſter, Aue Maria.

HYMNUS.

SAlve decus humani generis,
Salve dignior cæteris:
Quæ virgines omnes transgrederis,
Et altiùs ſedes in ſuperis.
Te creavit Pater ingenitus,
Obumbravit te Unigenitus:
Fæcundavit te Spiritus Sanctus,
Tu es facta tota divinitùs.
Beata es Virgo Puerpera,
Nam qui ſedet in Patris dextera:
Cælum regens, terram, & cætera,
Intra tua ſe clauſit viſcera. Te

Te Beatam laudare cupiunt
Omnes Sancti, ſed non ſufficiunt:
Nam tot laudes tibi conveniunt,
Quod laudantes omnes deficiunt.
Nomen tuum dæmones cruciat,
Splendor tuus cæcos irradiat:
Odor tuus Sanctos inebriat,
Fructus verò Beatos ſatiat.
Pia Mater, per tui gratiam
Revertitur exul in patriam:
Peccatores merentur veniam,
Et Beati poſsident gloriam.

℣. *Dignare me laudare te Virgo ſacrata.*
℟. *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

FAmulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce: ut qui tibi de actibus noſtris placere non valemus, Genitricis Filij tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

O MARIA DEI Genitrix, & Virgo gloriosa, omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera; per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti IESUM die tertia à mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum & DEI Natum, in die novissimo, quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuvare, ut perpetuæ damnationis sententiam, per te pia Mater & Virgo evadere, & cum electis DEI omnibus ad æterna gaudia feliciter valeam pervenire. Amen.

LITANIÆ VI.

ANTIPHONA.

Benedicta & venerabilis es Virgo MARIA, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Pater de cælis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere.
Spiritus Sancte DEUS, Miserere.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Oleum effusum, Ora.
Sion Sancta, Ora.
Stella Iacob, Ora.
Tabernaculum DEI sanctissimum, ora.
Tabernaculum DEI cum hominibus, ora.
Templum Domini, ora.
Templum sanctificatum, ora.
Templum DEI vivi, ora.
Terra germinans Salvatorem, ora.
Terra promissionis, ora.
Terra, de qua veritas est orta, ora.
Terra, quæ dedit fructum suum, ora.
Thalamus Sponsi, ora.
Thronus DEI, ora.
Thronus amplior cœlis, ora.
Thronus dignior Angelis, ora.
Thuribulum aureum, ora.

Turtur pudicissima, ora.
Vas electionis, ora.
Virga Iesse, ora.
Virga Moysis, ora.
Virga virtutis Dei, ora.
Domina invictissima, ora.
Domina clementissima, ora.
Domina Nazarena, ora.
Regina Sanctissima, ora.
Regina Israel, ora.
Regina Ierusalem, ora.
Imperatrix potentissima, ora.
Imperatrix humani generis, ora.
Imperatrix Regni cælestis coronata, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserare nobis.

Pater noster, Aue Maria.

HYMNUS.

Aue Virgo gratiosa,
Mater Dei gloriosa:

Tu es

Tu es illa ſpecioſa,
Rubicunda pluſquam roſa.
Virgo ſole clarior,
Favo mellis dulcior:
Virgo nardo ſuavior,
Lilio candidior.
Tu es læta lux piorum,
Tutus portus afflictorum:
Lava noxas peccatorum,
Conſolare cor mæſtorum.
Virgo lux Eccleſiæ,
Regina clementiæ:
Mater indulgentiæ,
Aurora lætitiæ.
Maria gemma Virginum,
Maria ſtemma Principum:
Cœli iubar præcipuum,
Terræ decus egregium.
Veni, veni, proſpera,
Leva corda miſera:
Tua ſemper ubera,
Noſtra ſanent vulnera, *Amen.*

℣. *Genuiſti qui te fecit:*
℟. *Et in æternum permanes Virgo.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ORE-

OREMUS.

COncede misericors DEUS, fragilitati nostræ præsidium, ut qui Sanctæ DEI Genitricis memoriam agimus, intercessionis eius auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum nostrum IESUM Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus S. DEUS, per omnia secula seculorũ, Amen.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

PEr te MARIA, accessum habeamus ad Filium. O benedicta invẽtrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas DEO gratanostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua cooperiat multitudinẽ peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcũditatẽ nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta, ut qui te mediante, infirmitatis & miseriæ nostræ fieri digna-

dignatus eſt particeps; te quoque intercedente, gloriæ & beatitudinis ſuæ nos participes faciat Iesus Chriſtus filius tuus, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

LITANIÆ VII.

ANTIPHONA.

Felix namq; es Virgo Maria, & omnì laude digniſsima: quia ex te ortus eſt Sol Iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spirtus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Gloria Angelorum, ora.

Ornamentum Patriarcharum, ora.
Deſiderium Prophetarum, ora.
Gaudium Electorum, ora.
Amor fidelium, ora.
Lætitia Ieruſalem, ora.
Honor populi DEI, ora.
Decus humani generis, ora.
Magnum mundi miraculum, ora.
Exemplum perfectionis, ora.
Laus plebis tuæ Ieruſalem, ora.
Corona omnium gentium, ora.
Deliciæ populorum, ora.
Regina virtutum, ora.
Domina bonorum cæleſtium, ora.
Pulchritudo Eccleſiæ DEI, ora.
Sacrarium Domini, ora.
Formido Dæmonum, ora.
Victrix hæreſium omnium, ora.
Forma iuſtitiæ, ora.
Norma vitæ & morum, ora.
Roſa inter ſpinas, ora.
Lilium caſtitatis, ora.
Gemma Paradiſi, ora.
Occaſio ſalutis, ora.
Plenitudo egentium, ora.
Spes omnium fidelium, ora.

Per im-

Per Immaculatam Conceptionē tuam,
Per Sanctam Nativitatem tuam,
Per Venerabilem Præſentationē tuam,
Per Admirabilē Annunciationem tuam,
Per mundiſſimam Purificationem tuam,
Per glorioſam Aſſumptionem tuam, Libera nos Vir:
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris,
Vt Eccleſiæ ſanctæ, cunctoque populo Chriſtiano pacem, & veram cōcordiam impetrare digneris,
Vt fidei, ſpei, charitatis augmentum nobis impetrare digneris,
Vt omnibus fidelibus Defunctis requiem æternam impetrare digneris, Te rogamus audi nos.
Mater DEI, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine,
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater noſter. Aue Maria.

HYMNUS.

AVe ſuprema Virginum,
Magni parentis filia:
Et ſponſa ſacri flaminis,
Chriſtiq́ꝫ Mater inclyta.
Tu Moyſis Arca Myſtica,
Suave manna continens:
Tu clauſus hortus undique,
Turriſq́ꝫ munitiſsima.
Tu fortitudo Martyrum,
Decuſq́ꝫ Confitentium:
Tu Virginum pulcherrima,
Regina cœlo præſides.
A te parens mitiſsima,
Opem gementes poſcimus:
Dulcem precare filium,
Ut noſtra tollat crimina.
Summo Parenti cælitum,
Magnæq́ꝫ Proli Virginis:
Sancto ſimul Paraclito,
Sit ſumma laus & gloria. Amen.

℣. Exaltata eſt Dei Sancta Genitrix.
℟. Super Choros Angelorũ ad cœleſtia regna.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

OREMUS.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christū Dnum̄ nostrū. A.

Ad Beatam Virginem Mariam.

O Clementissima Virgo Maria, Mater Dei, miserere mei peccatoris miserrimi. Multæ & graves sunt iniquitates meæ, sed tu Domina responde pro me, proter dulcissimam pietatem tuam. Remove à me omne salutis impedimentum; impetra mihi veram puritatem, & innocentiam, & spiritum bonum; impetra sanctam humilitatem, & charitatem, & continentiam, & sobrietatem, & confidētiam. Adesto mihi nunc, & in hora mortis meæ: ipsum obitum meum attentiùs tibi commendo, benigne me tunc consolare, conforta, & protege; effice tuis meritis, ut anima mea, tota munda hinc exeat, & ad vitā tutò perveniat æternam. Amen.

LITANIÆ VIII.

ANTIPHONA.

Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio; quia, quē cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas vnus Deus,
Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.
Aula cœleſtis, ora.
Aula Spiritus Sancti, ora.
Filia Dei omnipotentis, ora.
Filia Abraham, ora.
Filia Daniel, ora.
Filia Annæ, ora.

Magiſtra humilitatis, ora.
Magiſtra pudoris, ora.
Magiſtra obedientiæ, ora.
Magiſtra divæ charitatis, ora.
Exemplar pietatis, ora.
Exemplar compaſſionis, ora.
Exemplar timoris Domini, ora.
Exemplar devotionis, ora.
Speculum innocentiæ, ora.
Speculum pudicitiæ, ora.
Speculum mundiciæ, ora.
Paradiſus ſpiritualis, ora.
Hortus deliciarum, ora.
Introitus vitæ, ora.
Typus Eccleſiæ ſanctæ, ora.
Radix floris ſpetioſi, ora.
Signaculum fidei, ora.
Domina terræ promiſſionis, ora.
Domina mundi, ora.
Domina Regni cœlorum, ora.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c. Aue Maria &c.

HYMNUS.

O Glorioſa Domina,
Excelſa ſuper ſidera:
Qui te creavit providè,
Lactaſti ſacro ubere.

Quod Eva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut aſtra flebiles,
Cœli feneſtra facta es.

Tu regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine:
Cum Patre, & Sancto Spiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

℣. Ele-

℣. *Elegit eam Deus, & praelegit eam,*
℟. *In tabernaculo ſuo habitare facit eam.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEUS, qui ſalutis æternæ, Beatæ, MARIÆ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorē vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum IESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

O Glorioſiſſima Domina, Sancta DEI Mater MARIA, rogo Te per ſacratiſſimam paſſionem, & mortem Filij tui Domini noſtri IESU Chriſti, eſto mihi gubernatrix pia, quamdiù in periculoſo huius ſæculi mari navigo, & precipue in vitæ præſentis termino; ut te prælucente, feliciter perveniam ad portam cœleſtis Ieruſalem, ubi te diligam, laudem, & glorificem per omnia ſecula. Amen.

LITANIÆ. IX.

ANTIPHONA.

Beata viſcera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & Beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtũ Dominum.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miſerere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Ros cœli, Ora.
Ros in omni terra, Ora.
Ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion, Ora pro nobis.
Pluvia tempeſtiva, Ora.
Pluvia ſerotina ſalutaris, Ora.
Pluvia Doñi ſuper iuſtos & iniuſtos, Ora.
Splendor origens, Ora.

Splendor lucis æternæ, Ora pro nobis.
Splendor Sanctorum, Ora.
Lux illuminans, Ora.
Lux magna, Ora.
Lux prudentiæ, Ora.
Lux ſapientiæ, Ora.
Fons Paradiſi, Ora.
Fons aquæ vivæ, Ora.
Fons beatitudinis, Ora.
Pinguedo terræ benedictæ, Ora.
Origo iuſtitiæ, Ora.
Origo pacis, Ora.
Origo beatæ æternitatis, Ora.
Flos campi regij, Ora.
Flos odoris ſuaviſſimi, Ora.
Flos coloris ſiderij, Ora.
Vinea florens, Ora.
Vinea fructifera, Ora.
Vinea Domini Sabaoth, Ora.
Theſaurus permanens, Ora.
Theſaurus abſconditus. Ora.
Theſaurus infinitus, Ora.
Theſaurus indeficiens, Ora.
Theſaurus beatorum civium, Ora.
Theſaurus gloriæ cœleſtis, Ora.
A cunctis periculis, Libera nos Virgo.

Per Im-

Per Immaculatam Conceptionem tuam, Libera nos Virgo.
Per ſanctam Nativitatem tuam, Libera nos Virgo.
Per Venerabilem Præſentationem tuam. Libera nos Virgo.
Per admirabilem Annunciationem tuam, Libera nos Virgo.
Per mundiſſimam Purificationem tuam, Libera nos Virgo.
Per glorioſam aſſumptionē tuam, Libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut veram pœnitentiam nobis imperrare digneris, Te rogamus.
Ut Eccleſiæ ſanctæ, cunctoq; populo Chriſtiano, pacem, & veram concordiam impetrare digneris, Te rogamus.
Ut fidei, ſpei, & charitatis augmentum nobis impetrare digneris, Te rogamus.
Ut omnibus fidelibus Defunctis requiem æternam impetrare digneris, Te roga.
Mater DEI, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.

Pater noſter. Ave Maria.

HYMNUS.

IESU *Mater ſummæ clementiæ,*
Summæ laudis, & excellentiæ:
Sta pro nobis in cœlis hodie,
Ut & tecum fruamur requie.
Hæc abs te, ô benigna, poſcimus,
Ad hæc noſter adſpirat animus:
Fac deleri mala, quæ fecimus,
Et donari bona, quæ cupimus.
Huc igitur Mater accelera,
Pietatis oſtende viſcera:
Nato pectus offer, & ubera,
Et pro nobis veniam impetra.
Ergo Mater noſtrum ſolatium,
Noſtrum eſto, tu Virgo gaudium:
Et nos tandem poſt hoc exilium
Lætos iunge choris cœleſtium.

℣. *Diffuſa eſt gratia in labÿs tuis.*
℟. *Propterea benedixit te Deus in æternum.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

FAmulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce, ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, genitricis Filij tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad B. Virginem MARIAM.

SPes animæ meæ poſt DEUM Virgo MARIA, illa commendatione, & illa fide, qua te dilectus filius tuus Dominus noſter IESUS Chriſtus, prælecto diſcipulo ſuo Ioanni commendavit, commendo tibi hodie, & quotidie corpus meum, animam meam, honorem meum, & horam exitus animæ meæ â corpore, & omnes actus meos: ac præcor te, ut ſerves me á peccatis, á ſcandalis, ab omni confuſione hu-

one humana, ab ira iudicij tremendi, ab immundis cogitationibus, ab omni mortali peccato, â ſubitanea & improviſa morte, ab omnibus periculis animæ & corporis, honoris, & rerum mearum, nec unquam me tale permittas facere peccatum, quo gratiam tuam amittam. Da mihi de præteritis emendationem, de præſentibns cuſtodiam, de futuris cautelam. Demùm, eſto mihi in tremendo iudicio prælocutrix apud Filium tuum Dominũ noſtrum IESUM Chriſtum. Amen.

LITANIÆ X.

PRO FELICI MORTE.

ANTIPHONA.

Sancta Maria Mater Dei, *ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.*

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Pater

Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Mater Chriſti, Ora.
Mater Divinæ gratiæ, Ora.
Mater puriſſima, Ora.
Mater caſtiſſima, Ora.
Mater inviolata, Ora.
Mater intemerata, Ora.
Mater amabilis, Ora.
Mater admirabilis, Ora.
Mater Creatoris, Ora.
Mater Salvatoris, Ora.
Virgo prudentiſſima, Ora.
Virgo veneranda, Ora.
Virgo prædicanda. Ora.
Virgo potens, Ora.
Virgo clemens, Ora.
Virgo fidelis, Ora.
Speculum iuſtitiæ, Ora.
Sedes ſapientiæ, Ora.
Cauſa noſtræ letitiæ, Ora.

Vas ſpi-

Vas ſpirituale, Ora pro nobis.
Vas honorabile, Ora.
Vas inſigne devotionis, Ora.
Roſa myſtica, Ora.
Turris Davidica, Ora.
Turris eburnea, Ora.
Domus aurea, Ora.
Fœderis arca, Ora.
Ianua cœli, Ora.
Stella matutina, Ora.
Salus infirmorum, Ora.
Refugium peccatorum, Ora.
Conſolatrix afflictorum, Ora.
Auxilium Chiſtianorum, Ora.
Regina Angelorum, Ora.
Regina Patriarcharum, Ora.
Regina Prophetarum, Ora.
Regina Apoſtolorum, Ora.
Regina Martyrum, Ora.
Regina Confeſſorum, Ora.
Regina Virginum, Ora.
Regina Sanctorum Omnium, Ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos,.

Chriſte exaudi nos,

Pater noſter, Aue Maria.

ORATIO.

SUb tuum præſidiũ confugimus Sancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis, libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta, Domina noſtra, mediatrix noſtra, advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei genitrix,*

℟. *Ut digni efficiamur, promiſsionibus Chriſti.*

OREMUS.

GRatiam tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde: ut qui Angelo nuntiante Chriſti Filij tui incarnatio-

nationem cognovimus, per passionem eius & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. *Ora pro nobis Beatissime Ioseph.*
℟. *Ut digni efficiamur, promissionibus Christi.*

OREMUS.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adiuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur, qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. Amen.

CANTICUM.

Ad Matrem cum Filio triumphantem.

TE Matrem DEI laudamus.
Te MARIAM Virginem profitemur.
Te æterni Patris Sponsam, omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli & Archangeli.

Tibi Throni & Principatus fideliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates, & omnes Virtutes, Cœli cœlorum, & universæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori, tibi Cherubim & Seraphim exultantes assistunt.

Tibi omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat:

Sancta, Sancta, Sancta MARIA DEI Genitrix, Mater & Virgo.

Pleni sunt cœli & terra Maiestatis gloriæ fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus, sui Creatoris matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cætus candidatus, Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus, Trinitatis templum appellat.

Te sanctarum Virginum chorea amabilis, virginitatis & humilitatis exemplum prædicat.

Te cœlestis curia Reginam honorat.

Te per universum orbem, Ecclesia invocando concelebrat.

Matrem Divinæ Maiestatis.

Veneran-

Venerandam te veram Regis cœlestis puerperã, sanctam quoq; dulcem & piam.

Tu Angelorum Domina, tu Paradisi ianua.

Tu scala Regni cœlestis & gloria, tu thalamus, tu arca pietatis & gratiæ.

Tu vena misericordiæ, tu Sponsa & Mater Regis æterni.

Tu templum & sacrarium Spiritus S. totius sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium.

Tu mediatrix DEI & hominum, mediatrix mortalium.

Tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum, miseratrix & refugiũ peccatorum.

Tu erogatrix munerum, superatrix ac terror dæmonum & superborum.

Tu mundi Domina, cæli Regina, post DEUM sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, portus naufragantium, miserorum solatium, pereuntium refugium.

Tu Mater omnium Beatorum, gaudium plenum post Deum, omnium supernorum Civium solatium.

Tu promotrix iuſtorum, congregatrix errantium, promiſſio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, præconium & doctrix Apoſtolorum, Magiſtra Evangeliſtarum.

Tu fortitudo Martyrum, exẽplar Confeſſorum, honor & feſtivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, Filium DEI ſuſcepiſti in uterum.

Per te, expugnato hoſte antiquo, ſunt aperta fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio tuo ſedes ad dexteram Patris.

Tu ipſum pro nobis roga Virgo Maria, quem nos ad iudicandum credimus eſſe venturum.

Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni, qui pretioſo ſanguine Filij tui Redempti ſumus.

Æterna fac, pia Virgo, cum Sanctis omnibus, nos gloria munerari.

Salvum fac populum tuum Domina, ut ſimus particeps hæreditatis Filij tui.

Et rege nos, & cuſtodi nos in æternum.

Per ſingulos dies, ö pia, te ſalutamus.

Et lau-

Et laudare cupimus uſque in æternum, mente & voce.

Dignare, dulcis Maria, nunc, & ſemper nos ſine dilecto cuſtodire.

Miſerere pia nobis, miſerere nobis.

Fiat miſericordia tua magna nobiſcum, quia in te, Virgo Maria, confidimus.

In te, ö dulcis Maria, ſperamus, defẽde nos in æternum.

Te, ö Mater Dei, decet laus, imperium, virtus & gloria, in ſecula ſeculorum, A.

℣. *Dignare me laudare te Virgo ſacrata.*
℟. *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.*

ORATIO.

O Glorioſa Domina, mediatrix noſtra, advocata noſtra, tuo filio nos commenda, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos repræſenta. Fac, ô benedicta, per gratiam, quam meruiſti per miſericordiam, quam peperiſti, ut qui, te mediante, dignatus es fieri particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedende, particeps nos faciat beatitudinis & glo-

riæ ſuæ IESUS Chriſtus, qui eſt ſuper omnia benedictus, glorioſus, laudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula, Amen.

Almæ Virginis Filius,
Cuius Nomen IESUS*:*
Cum Matre, decet, pariter
Collaudetur humiliter.

LITANIÆ

De Auguſtiſsimo Nomine IESU.

ANTIPHONA.

In Nomine IESU *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.*

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere.

Sancta Trinitas unus Deus,	Miserere.
Iesu Fili Dei vivi,	Mise.
Iesu Fili David,	Mise.
Iesu Fili Mariæ Virginis,	Mise.
Iesu Sanctissime,	Mise.
Iesu potentissime,	Mise.
Iesu perfectissime,	Mise.
Iesu fortissime,	Mise.
Iesu gloriosissime,	Mise.
Iesu pijssime,	Mise.
Iesu charissime,	Mise.
Iesu dulcissime,	Mise.
Iesu admirabilis,	Mise.
Iesu delectabilis,	Mise.
Iesu honorabilis,	Mise.
Iesu Salvator mundi,	Mise.
Iesu Mediator Dei & hominum,	Mise.
Iesu bone Pastor ovium,	Mise.
Iesu refugium nostrum,	Mise.
Iesu benignissime,	Mise.
Iesu dilectissime,	Mise.
Iesu clementissime,	Mise.
Iesu desideratissime,	Mise.
Iesu mitissime,	Mise.
Iesu amantissime,	Mise.
Iesu amator fidelissime,	Mise.

Ieſu amator noſter, Miſe.
Ieſu lux vera, Miſe.
Ieſu ſapientia æterna, Miſe.
Ieſu bonitas infinita, Miſe.
Ieſu ſpeculum perfectionis, Miſe.
Ieſu exemplar virtutum, Miſe.
Ieſu pater pauperum, Miſe.
Ieſu conſolator afflictorum, Miſe.
Ieſu gaudium Angelorum, Miſe.
Ieſu Rex Patriarcharum, Miſe.
Ieſu inſpirator Prophetarum, Miſe.
Ieſu Magiſter Apoſtolorum, Miſe.
Ieſu Doctor Evangeliſtarum, Miſe.
Ieſu fortitudo Martyrum, Miſe.
Ieſu lumen Confeſſorum, Miſe.
Ieſu ſponſe Virginum, Miſe.
Ieſu corona Sanctorum Omnium, Miſe.
Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.
Propitius eſto, Exaudi nos Ieſu.
Ab omni malo, Libera nos Ieſu.
Ab omni periculo, Libera.
Ab ira tua, Libera.
Ab inſidijs Diaboli, Libera.
A peſte, fame, & bello, Libera.
A tranſgreſſione mandatorũ tuorũ, Lib.
Ab incurſu omnium malorum, Libera.

Per in-

Per incarnationem tuam, Libera.
Per adventum tuum, Libera.
Per nativitatem tuam, Libera.
Per dolores tuos, Libera.
Per flagella tua, Libera.
Per mortem tuam, Libera.
Per reſurrectionem tuam, Libera.
Per aſcenſionem tuam, Libera.
Per gaudia tua, Libera.
Per gloriam tuam, Libera.
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam, Libera nos Ieſu.
Per interceſſionem Omnium Sanctorum, Libera nos Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis Ieſu.
Ieſu Chriſte audi nos,
Ieſu Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon,
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c.

HYMNUS.

IESU sole serenior,
Et balsamo suavior:
Omni dulcore dulcior,
Et cunctis amabilior,
Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit:
IESUS qui nunquam deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu nostra gloriatio,
IESU mundi salvatio:
Sequar quocunq; ieris,
Mihi tolli non poteris:
Cùm meum cor abstuleris,
IESU laus nostri generis.
Sic ergo tua gratia,
Nostra tangat præcordia:
Quod nobis in memoria,
Sis per æterna secula.

℣. *Sit nomen Domini benedictum,*
℟. *Ex hoc, nunc, & usque in seculum.*

ORE-

Oremus.

DEus, qui dilectum unigenitum tuum Redemptorē nostrū glorioso ac mirabili nomine Iesu appellari voluisti: cōcede propitius, ut qui hoc benedictum Nomē ipsius celebramus in terris, eius felici cōsortio perenniter perfruamur in cœlis. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IESUS MARIA.

Hinc Lactor Ubere,
Hinc Pascor Vulnere,
S. Augustinus.

VBera me Matris, Nati me vulnera pascunt,
Mystica quæ cordis, sunt medicina, mei.
Nam mihi dum lacrymas dolor elicit, ubera sugo,
Gaudia dum tentant, vulnera lambo reus.

Vulne-

Vulnera ſic Nati, ſugo ſic ubera Matris,
Securæ, ut variæ ſint mihi ſorte vices.
Quis ſine lacte, precor, quis ſine ſanguine vivat?
Sanguine, Nate, tuo, lacte, puella tuo?
Sit lac pro ambroſia, ſuavi pro nectare ſanguis,
Et me perpetuò, vulnus & uber alat.

IN

Marianam Litaniarum

Decadem

FINIS.

PSALTERIU
MAGNÆ MATR
AC VIRGINIS DEIPA
per Ferias distinctum.

PRO DOMINICA.

Eia mea labia nunc annuntiate
Laudes, & præconia Virginis Beatæ.
Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende,
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

Mater illa nos benedicat, quæ cum filio vivit & regnat.

PSALMUS I.

BEatus vir, qui diligit nomen tuum, ô Maria, gratia tua animam eius confortabit.

Tanquam lignum aquarum fontibus

irrigatum, uberrimos iuſtitiæ fructus propagabit.

Benedicta tu inter mulieres, propter humilitatem & credulitatem cordis tui.

Universas enim fœminas vincis pulchritudine formæ, ſuperas Angelos & Archangelos excellentia ſanctitatis.

Miſericordia & gratia tua ubique prædicantur; Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS II.

QUare fremuerunt inimici noſtri, & adverſum nos meditati ſunt inania?

Protegat nos dextera tua, Mater Dei, ut acies terribilis confundens & deſtruens eos.

Venite ad eam omnes, qui laboratis, & tribulati eſtis; & refrigerium dabit animabus veſtris.

Accedite ad eam in intentionibus veſtris, & ſtabiliet vos ſerenitas vultus eius.

Benedicite illam in toto corde veſtro, miſericordia enim illius plena eſt omnis terra.

Gloria Patri, &c.

Psalmus III.

DOmina, qui multiplicati ſunt, qui tribulant me; in virtute tua perſequeris, & diſſipabis eos.

Diſſolve colligationes impietatis noſtræ, tolle faſciculos peccatorum noſtrorum.

Miſerere mei Domina, & ſana infirmitatem meam, tolle dolorem, & anguſtiam cordis mei.

Ne tradas me in manibus inimicorum meorum, & in die mortis meæ conforta animam meam.

Deduc me ad portam ſalutis, ô benigna, & ſpiritum meum redde Creatori tuo.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve mundi Domina,
Cœlorum Regina:
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiæ,
Clara lux divina:

Mundi in auxilium
Domina festina:
Ab æterno Dominus
Te præordinavit,
Matrem unigeniti
Verbi quo creavit
Terram, pontum, æthera,
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, in qua
Adam non peccavit.

℣. *Elegit eam Deus, & prælegit eam.*
℟. *In tabernaculo suo habitare facit eam.*

CANTICUM.

BEnedicta sis Domina, & Mater Dei mei Israel: qui per te visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit unicornu salutis castitatis tuæ: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Isaiæ,& Sãctorum Prophetarum eius.

Salutẽ ex inimicis nostris præsta: & pacẽ de manu omnium qui oderunt nos.

Et fac misericordiam parentibus, & nobis: ut filius memor sit testamenti sui sancti.

Quod

Quod iuravit ad Patres noſtros: Abraham & ſemini eius in ſæcula.

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: quiete ſerviamus illi.

In ſanctitate & iuſtitia coram te: omnibus diebus noſtris.

Et tu Maria Propheta Domini vocaberis, præiviſti omnes ob humilitatem: & meruiſti videre faciem Domini, & viam eius.

Per quam dedit ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum.

Per viſcera multitudinis miſericordiæ tuæ: viſita nos Stella matutina oriens ex alto.

Illumina tenebras ſedentium in umbra mortis: & dirige pedes noſtros ad cœlum in viam pacis.

Gloria, laus, honor Virgini Mariæ: quæ ſecum nos trahat ad regnum gloriæ, Amen.

℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

GRATULATIO.

BEnedicta sis in mulieribus, ô Maria, quam Matrem DEI agnoſcimus omnes, ſuſcipimus, atque veneramur; ex hoc enim omnis creatura te Benedictam confitetur, te admirabilem, & ſuper omnem creaturam, tàm cœleſtem, quàm terreſtrē exaltatam proclamat. Et benedictus quoque ſit fructus ventris tui IESUS Chriſtus, qui hominem vivificavit, ſanctificavit, & in æternum benedixit, quo nos hic per gratiā, & in futuro per gloriam refici, paſci, & ſatiari mereamur. Hoc fac, hoc adiuva, ô Benedicta Mater Virgo Maria, Amen.

AD B. VIRGINEM MARIAM.

FERIA II.

Domina in adiutorium meum intende, Me de manu hoſtium potenter defende. Gloria Patri, &c. Sicut &c.

ANTI-

ANTIPHONA.

Per Virginem Matrem, concedat nobis ſalutem & pacem.

PSALMUS I.

DOmina, ne in furore ſuo arguat me Dominus, mihi veniam obtine de peccatis.

In conſpectu tuo ſit omne deſiderium meum, ſpes mea, & confidentia mea.

Cor meum conturbatum eſt in me, receſſit lux de viſceribus meis.

Illumina ſplendore tuo cæcitatem meam, dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Ne derelinquas me, Domina Mater Dei, gratia tua & virtus ſit à dextris meis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS II.

EXpectans expectavi gratiam tuam, Domina mea, dulciſſima Virgo Maria, & feciſti mihi ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui.

Exaudiſti preces meas, ô benigna, eduxiſti me de lacu miſeriæ, & de fovea inimici.

Multa & mirabilia ſunt dona tua Domina, incomprehenſibilia ſunt tuarum munera gratiarum.

Exultent, & lætentur ſuper te omnes, qui diligunt te; qui verò oderunt nomen tuum, corruent in infernum, & prævalere tibi non poterunt.

Benedicta ſis in æternum Domina potentiſſima, in ſæculum, & in ſæculum ſæculi, laus tua in omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS III.

DOmina, auribus noſtris audivimus, & Patres noſtri annuntiaveruut nobis.

Quàm ineffabilia ſunt merita tua, & quam ſtupenda ſunt miracula tua.

Quamque innumerabiles ſunt virtutes tuæ, & in æſtimabiles miſericordiæ tuæ.

Exulta igitur anima mea & lætare in Virgine hac dulciſſima Maria, quia multa bona ſunt eius laudatoribus præparata.

Benedi-

Benedicta sis Regina Angelorum, & à Deo benedicantur laudatores magnificentiæ tuæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

Salve mundi sapiens,
Domus Dei dedicata:
Columna septemplici,
Mensaq; exornata.
Ab omni contagio
Mundi præservata:
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.
Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum:
Nova Stella Iacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies castrorum:
Portus & refugium
Sis Christianorum.

℣. *Ipse creavit illam in Spiritu Sancto,*
℟. *Et effudit illam super omnia opera sua.*

CANTICUM.

AUdite cœli quæ loquar de Maria: audiat terra verba oris tui.

Magnificate ipſam mecum ſemper: & exaltemus nomen eius in ſæculum ſæculi.

Generatio prava atque perverſa: agnoſce Dominam noſtram ſalvatricem tuam.

Nunquid non ipſa eſt mater tua: quæ poſſedit te & in fide generavit te?

Si hanc dimittis non es amicus ſummi Cæſaris: quoniam ipſe ſine ea non ſalvabit te.

Utinam ſaperes & intelligeres ac noviſſima provideres.

Quemadmodum infans ſine nutrice non poteſt vivere: ita nec ſine Domina noſtra potes habere ſalutem.

Sitiat ergo anima tua ad ipſam: tene eam, nec dimitte, donec benedixerit tibi.

Repleatur os tuum laude ſua: decanta tota die magnificentiam eius.

Gloria, laus, honor Virgini Mariæ: quæ ſecum nos trahat ad regnum gloriæ. Amen.

℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO.

CAſtiſſima Virgo eximiæ puritatis, MARIA, ſola ſancta, & vere humilis, tamen cæteris Sanctis omnibus ſublimior; repurga, quæſo, cor meum, à peccatorum ſordibus, tolle à me quidquid virgineis oculis tuis minùs placet; ſegrega mentem meam à deſiderijs terrenis, & eam in amore rerum cæleſtium fige, ad laudem unigeniti tui ſempiternam, Amen.

AD

B. VIRGINEM MARIAM.

FERIA III.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

PSALMUS I.

ECce nunc benedicite MARIAM omnes qui ſperatis in nomine ſancto eius;

Quoniam ipſa nobis impetrat amicitiam Ieſu Chriſti, & hoſtem noſtrum comprimit, ut nobis nocere non valeat.

Ipſa eſt porta vitæ ijs qui diligunt nomen ſanctum eius: & qui contempſerint eam, non pervenient ad ſalutem.

Quemadmodum infans ſine nutrice non poteſt vivere, ita nec ſine Domina noſtra vitam ſperare poſſumus & ſalutem.

Intercede pro me, Mater Dei, tuosque miſericordes oculos ad me converte, & non peribit in æternum anima mea.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

PSALMUS II.

COnfitebor tibi in toto corde meo, dulciſſima Virgo Maria, & à laudibus tuis in æternum non ceſſabo.

Quoniam à periculis innumeris tu me clementi manu tua liberasti, & sine te perijsset iam dudum anima mea.

Copiosa facta est super me misericordia tua, & dilatata est super me clementia tua.

Quam inhoasti super me misericordiam, Virgo dulcis, in finem usque continuare ne graveris.

Collaudabunt te Sancti omnes & Angeli, quia de ore leonis extraxisti misellam hanc animam meam; & ego misericordias tuas in æternum cantabo.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

PSALMUS. III.

VOce mea ad Dominam clamavi, & deduxit me de lacu miseriæ & de luto fecis.

Effudi in conspectu eius lachrymas meas, & dolorem meum & confidenter exposui.

Ipsa autem consolata est me, & non sum fraudatus à desiderio meo.

Adiuva me Virgo Sancta, quamdiu vi-

xero, ut non corruam in peccatum, & à gratia Iesu Christi non excidam.

Consolare me in extremis meis Mater misericordiæ, & egredientem de corpore animam meam, bona pro me loquens, præsenta tuo dulcissimo Filio.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYMNUS.

Salve Arca fœderis,
Thronus Salomonis:
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis.
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis:
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.
Decebat tam nobilem,
Natam præcavere:
Ab originali,
Labe Matris Evæ.
Almam quam elegerat,
Genitricem verè:
Nulli prorsus sinens,
Culpæ subiacere.

℣. *Ego*

℣. *Ego in altissimis habito,*
℟. *Et Thronus meus in columna nubis.*

CANTICUM.

EXultavit cor meum in Domino: & exaltatum est cornu meum in Domina mea.

Quia fecit mihi magna qui potens est: per Mariam Matrem eius.

Non est sancta ut es Domina nostra: quæ sola supergressa es universas.

Recedant ergò vetera de ore nostro: & linguis loquamur novis.

Exulta & lauda Mariam Sion & Ierusalem: quia maxima in dominabus Israel.

Ipsa pauperem facit & ditat & humiliat & sublimat: altior cœlo terra latior est hæc domina nostra.

Gloria tibi sit Regina Virginum, tecum nos perducas ad regna cœlorum.

℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

POSTU-

POSTULATIO.

EIa inclina, quæſumus, tuæ pietatis aures precibus ſervorum tuorum, omniũque peccatorũ, & caliginem vitiorũ noſtrorũ radijs tuæ ſanctitatis diſſipa; ut filio tuo, tibique placeamus, & gratũ obſequium exhibeamus, Amen.

AD

B. VIRGINEM. MARIAM.

FERIA. IV.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

ANTIPHONA.

Per Virginem perpetuæ capiamus gaudia vitæ.

PSALMUS I.

IN te Domina ſperavi, non confundar in æternum, in tua miſericordia libera me & eripe me.

Propter multitudinẽ iniquitatum mearum, oppreſſus ſum vehementer.

Facti ſunt hoſtes mei in capite meo, ſubſanaverunt me & deriſerunt tota die.

Attende benigna Domina, quoniam tribulor, expande manus tuas, & ſuccurre pereunti.

Ne moreris propter gratiam nominis tui, ut efficiaris mihi in gaudium & ſalutem.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

PSALMUS II.

VT quid Domina repuliſti nos, nec ſubvenis nobis in die tribulationis?

Intret Oratio noſtra in conſpectu tuo, & voces gementium poſt te, ne deſpexeris in finem.

Tetendit arcum ſuum contra nos inimicos, firmavit dexteram ſuam, & non eſt conſolator.

Dirumpe in nobis ligaturam malitiarum eius, ô Maria, & liberet nos dextera tua.

Repelle eum in locum perditionis, fremat den-

mat dentibus & confusus abscedat, quoniam tu Domina adiuvisti me & consolata es me.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

PSALMUS III.

VOce mea ad Mariam clamavi, & solita sua dulcedine intendit mihi.

Ad iutorio Sancto suo evasi pericula mortis, & de manu ferocis supterfugi.

Misericordias tuas Domina in æternum cantabo, & à laudibus tuis non cessabo.

Miserationibus tuis repletur Paradisus, potentiam & benignitatem tuam mundus prædicat universus.

Fructus gratiæ inveniet, qui speraverit in illa, porta Paradisi reserabitur ei.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo puerpera,
Templum Trinitatis:
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis: *Pal-*

Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es Benedicta,
Et Sacerdotalis:
Sancta & immunis,
Culpæ originalis,
Civitas Altissimi,
Porta orientalis:
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.

℣. *Sicut lilium inter spinas,*
℟. *Sic amica mea inter filias Adæ.*

CANTICUM.

DOmina audivi auditionem tuam & obstupui: consideravi opera tua, & expavi.

Domina opus tuum circa medium annorum vivificasti illud.

Confitebor tibi Domina, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.

Operuit cælos gloria tua: & misericordià tuà plena est terra.

Egressa es Virgo, in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Benedicta, in manibus tuis est reposita nostra salus: recordare pia, paupertatis nostræ.

Quem vis, ipse salvus erit, & à quo avertis vultum tuum, vadit in interitum.

Gloria tibi sit impetratrix poli: tecum nos perducas ad gaudia cæli.

℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

POSTULATIO.

AVe purissima Spiritus Sancti officina, & immaculatum Verbi Dei sacrarium: ave sanctissima Mater & Virgo Maria, quæ gaudium Angelorum pariter & hominũ peperisti IESUM Christum, eundemque puerulum pannis involuisti, fasciolis strinxisti, ulnis gestasti, gremio confovisti, uberibus lactasti, amplexibus osculisque delivisti; Rogo Te Domina, ut mei patrocinium apud eundem filium tuum suscipias, gratiam impetres, lumen infundas, & ad vitam æternam me perducas.

AD
B. VIRGINEM MARIAM.
FERIA V.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Antiphona.

Cuius devotionem colimus; ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

Psalmus I.

CAntabo tibi, Domina gloriosa Virgo Maria, in hymnis & canticis collaudabo te, & in exultatione cordis reverenter tibi serviam.

Dextera tua, Domina, magnificata est super me, quia in multitudine misericordiæ tuæ stravisti adversarios meos.

De ore Leonis liberasti me Domina, & quasi modo genitum infantem suscepisti me.

O Domina & Mater mea chariſſima, ſicut gallina pullos ſuos, ſic & me ſub alis tuis protege ſemper & conſerva.

Totus tuus ſum, ô Maria, ponam te ſicut ſignaculum ſuper cor meum, laus & memoria tui nunquam mihi recedat ab ore, nunquam recedat à corde.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSALMUS II.

DOmina, laudem meam ne deſpexeris, & affectum mei cordis acceptare benigne digneris.

Laudabo nomen tuum quamdiu vixero, & gloriam tuam in populis nunciabo.

Zelatus ſum amorem tuum & honorẽ, Virgo benedicta, defende cauſam meam ante ſæculorum iudicem.

Illuminationem Spiritus Sancti per te ſuſcipiam, ô benigna, & refrigerium cõtra cupiditatis æſtum.

Eſto mihi umbraculum protectionis in omnibus anguſtijs & tentationibus meis, dextera tua me ſuſcipiat & à devorante me defendat.

Gloria Patri, &c.

PSALMUS III.

LAudate pueri Matrem Domini, glorificate ſenes nomen ſanctum eius.

Benedicta ſit Maria Mater IESU Chriſti, ipſa eſt enim via ád patriam ſalutis.

Super mites & humiles vultus eius, & ſuper confidentes in ea aſpectus illius.

Miſericordia illius ſuper omnem carnem, & benignitas illius uſque ad extremum terræ.

Beatus homo, qui non ſatiatur â laude tua, Virgo Sancta, quoniam non derelinquetur à te, nec in vita, nec in morte.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

Salve Urbs refugij,
Turriſq; munita
David, propugnaculis,
Armiſq; inſignita.
In conceptione
Charitate ignita:
Draconis poteſtas
Eſt à te contrita.

O Mulier fortis,
Et invicta Iudith:
Pulchra Abisai Virgo,
Verum fovens David:
Rachel curatorem
Ægypti gestavit:
Salvatorem mundi
MARIA portavit.

℣. *Tota pulchra es amica mea,*
℟. *Et macula originalis non fuit in te.*

CANTICUM.

CAntemus Dominæ gloriosæ Virgini Mariæ: in hymnis & confessionibus benedicamus eam.

Domina nostra omnipotens, post Deum nomen eius: currus Pharaonis, & exercitium eius proiecit in mare.

Dextera tua Domina magnificata est in fortitudine: quia in multitudine misericordiæ tuæ stravisti adversarios meos.

De ore leonis liberasti me Domina: & tanquam infantem genitum Mater, suscepisti me.

O Do-

O Domina chariſſima mea: velut gallina rege me mirabili poſſeſſione tua.

Tuus totus ego ſum: & omnia mea tua ſunt Virgo ſuper omnia benedicta.

Ponam te ſicut ſignaculum ſuper cor meum: quia fortis eſt ut mors dilectio tua.

Gloria tibi ſit advocata noſtra: ſervos tuos tecum ducas ad regna beata.

℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

INTERCESSIO.

O MARIA, Virgo dulcis, ne me averſis indignum peccatorem, qui te in Matrem & Dominam habere affecto; ſed ex ſordido fac me mundum, ex iniquo iuſtum, ex remiſſo alacrem, ex arido devotum, & in omnibus me dirige, & clementer exaudi, ſicut de te confido dulciſſima. In te dulcis Maria ſperavi, non confundar in æternum, Amen.

AD

B. VIRGINEM MARIAM.

FERIA VI.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

Matris compaſsio nos adiuvet, ut filij paſsio nos vivificet.

PSALMUS I.

EXurgat Maria, & diſſipentur inimici eius: conterantur omnes ſub pedibus eius.

Oſtende potentiam tuam contra inimicos tuos, Virgo benedicta: ſciant, quòd nomen & poteſtas tibi ſit.

Nos autem, qui benedicimus te, ſub umbra alarum tuarum protegamur: & qui conturbant ſervos tuos, inveniant perditionem.

Miſere-

Miſerere ſervorum tuorum Domina, ſuper quos invocatum eſt nomen tuum: & ne ſinas nos anguſtiari in tentationibus noſtris.

Salus noſtra in manu tua eſt, ô Maria: loquere pro nobis apud Filium tuum bona, & bene erit propter te animæ meæ, noſtræ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS II.

EXaudi Domina orationem meam, & ne contemnas deprecationem meam.

Contriſtatus ſum in cogitatione mea: & iudicia Dei perterruerunt me.

Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Ego autem in ſolitudine exſpecto conſolationem tuam: & in cubili meo præſtolor miſericordiam tuam.

Quoniam liberabis me de morte æterna Virgo benedicta: & ſublevabis de corruptione vitam meam.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSALMUS III.

IN te Domina ſperavi, non confundar in æternum in gratia tua ſuſcipe me.

Tua es fortitudo mea, & refugium meum: conſolatio mea, & protectio mea.

Educes me de laqueo, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es adiutrix mea.

In manus tuas commendo ſpiritum meum: totam vitam meam, & diem meum noviſſimum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve horologium,
Quo retrò graditur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo, ut ab inferis
Ad ſumma attollatur:
Immenſus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis huius radijs
MARIA coruſcat:
Conſurgens aurora,
In conceptu micat.

Lilium

Lilium inter ſpinas,
Quæ ſerpentis terat
Caput pulchra ut Luna,
Errantes colluſtrat.

℣. *Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.*
℟. *Et quaſi nebula texi omnem terram.*

CANTICUM.

EGo dixi circa dimidium dierum meorum: vadam ad MARIAM, ut me Chriſto reconciliet.

Quæſivi reſiduum annorum meorum: in amaritudine animæ meæ.

Generatio mea ablata eſt: quia Pater & Mater, & omnia derelinquerunt me, Maria autem aſſumpſit me.

Sperabam in illa mane, ſerò, & meridie: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa peccatorum meorum.

Domina vim patior, Domina opitulare, quid reſpondebo? reſponde pro meis peccatis, cùm iudex iubicaverit me.

Recogito omnes annos meos: in amaritudi-

ritudine animæ meæ, quid dicam?

Domina si sic vivitur, & in taiibus periclitatur vita spiritus mei, corripiar hîc, fruar ibi pace.

Vere tu promovisti animam meam, ut non periret: & eruisti de manu canis unicam meam.

Vivens, vivens ipse sperabo in te: quoniam spes tua excludit formidinem meam.

Domina salvum me fac: laudem tuam cantabo cunctis diebus vitæ meæ, ô pia Mater Domini mei.

Gloria perennis sit tibi spes nostra: quæ regnas in cœlis, tolle nos ad astra.

℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OBLATIO.

RESpice quæsumus, Domina, super familiam tibi devotam, pro qua Dominus noster IESUS Christus filius tuus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum, quod nos Clientes pro delictis nostris sanguine

pretioso

pretioſo redempti, Patri cæleſti per Filium mundi Redemptorem devote offerimus, cui laus, honor, virtus, & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum, A.

AD B. VIRGINEM MARIAM.

PRO SABBATHO.

Domina in adiuterium meum intende;
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

Ad Societatem civium ſupernorum; perducat nos Regina Angelorum.

PSALMUS.

COnfitemini Dominæ noſtræ, & invocate nomen eius: cantate ei glorioſe virtutes eius.

Laudate & exultate eam Virgines filiæ Si-

liæ Sion: quia deſponſabit vobis Regem Angelorum.

Honorate Reginam plenam gratiarum: & contemplamini cum reverentia ſanctum vultum eius.

Salus ſempiterna in manu tua Domina: qui te digne honorificaverit ſuſcipiet illam.

Clementia tua non deficit à ſæculis æternis, & miſeritordia tua à generatione, in generationem.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS. II.

CONfitemini Dominæ noſtræ quoniam bona eſt: per cunctas tribus terræ enarrare miſericordias eius.

Longe eſt ab impijs converſatio eius: nam à mandatis non declinavit pes eius.

Fons irrigantis gratiæ procedit de ore eius: & de corde eius emanentio virginalis ſanctificans animas caſtas.

Spes de gloria Paradiſi: in corde illius qui devoto animo honoraverit illam.

Miſerere noſtri fulgentiſſima Regina cæli: & præſta nobis conſolationem de gratia tua. Gloria

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat, &c.

PSALMUS III.

CОnfitemini Domino quoniam bonus: confitemini Matri eius; quoniam in sæculum misericodia eius.

Innocentiam & viam prudentiæ ostēde nobis Domina: & semitam veritatis & intelligentiæ indica servis eius.

Timor Dei illustrat intellectum, & amor tuus exhilarat illum.

Beatus vir cuius obsequium est tibi gratum: illius ossa impinguabuntur adipe & pinguedine gratiarum.

Eloquium tuum sustentat animam imbecillem: & labia tua animam esurientem refocillant.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

Salve Virgo florens,
Mater illibata:
Regina clementiæ,
Stellis coronata.

Supra

Supra omnes Angelos,
Pura immaculata:
Atq; ad Regis dexteram,
Stans veste deaurata.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum:
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.
Patens cœli ianua,
Salus infirmorum:
Videamus Triadem,
In aula Sanctorum. Amen.

℣. *Oleum effusum* MARIA *Nomen tuum.*
℟. *Servi tui dilexerunt te nimis.*

CANTICUM.

BEnedicite opera omnia Dominæ gloriosæ: laudate & superexaltate eam in sæcula.

Benedicite Angeli Dominæ nostræ: benedicite cæli Dominæ nostræ.

Benedicat omnis creatura Dominam nostram: quam Rex sic voluit benedici.

B[illegible]nedicta sis ô summi Regis filia: quæ odo[illegible]e, præis cuncta lilia. Bene-

Benedicta sis corona Dominarũ omnium: benedicta sis gloria Ierusalem.

Odor tuus sicut agri pleni cui benedixit Dominus: qui in benedicentes te redundat irrigans omnia intima eorum.

Qui benedixerit tibi ô Virgo Beata, sit ille iugiter benedictus: qui maledixerit tibi rosa candidissima, sit ille maledictus.

Non recedat de domo servorum tuorum vini & olei abundantia.

Potens es, Mater, in Nomine Filij, cui omne genu flectatur: cælestium, terrestrium, & infernorum.

Benedicamus Deum qui te creavit: benedictus uterq; parens, qui te generavit.

Benedicta sis Domina in cælo & in terra: laudabilis & gloriosa & superexaltata in sæcula.

Salutatio & Oratio.

SAlve Regina Mater misericordiæ, vita dulcedo, & spes nostra salve, ad te clamamus exules filij Evæ, ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle: Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos con-

verte, & IESUM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, ô clemens, ô pia, o dulcis Virgo Maria.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OMnipotens sempiterne DEUS, qui gloriosæ Virginis Matris MARIÆ corpus & animam, ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti, da ut cuius commemoratione lætamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

HORARIUM

In Parvas Horas distinctum.

AD PRIMAM.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYMNUS.

NOs Dominus in crimine
Mori nolens, ordinavit,
Nam sicuti mors in homine,
Per mulierem intravit:
Sic per merita fæminæ,
Vitam ei restauravit:
De David regis semine,
Quam Ioachim germinavit.

ANTIPHONA.

Virgo clarior aurora, pro nobis iugiter ora.

DOmina in Nomine tuo salvum me fac: & ab iniustitijs meis libera me Ut non noceat mihi calliditas inimici,

ſum umbra alarum tuarum protege me.
O Domina mea adiuva me: & largire gratiam animæ meæ.
Voluntarie offerã tibi ſacrificiũ laudis: & confitebor nomini tuo, quoniã bonũ eſt.
Quoniã ex omni tribulatione liberabis me: & inimicos meos deſpiciet oculus meꝰ.
Gloria Patri, & Filio, &c.

BEati immaculati in via: qui Matrem Domini imitantur.
Beati imitatores humilitatis eius: beati particeps charitatis illius.
Beati ſectatores virtutum illius: beati conformes imaginis cordis illius.
Beati qui conceptum & partum illius venerãtur: beati qui devote famulantur.
Beati qui in ea habent ſpem & confidentiam: beati qui per illam ſuſcipient fælicitatem æternam.
Gloria Patri, & Filio, &c.

REtribue ſervo tuo Domina: vivifica me, & faciam voluntatem tuam.
Incola ego ſum in terra: nihil abſcondas mihi de amore tuo.
Concupivit anima mea: laudem tuam deſiderare in omni tempore. Tu

Tu enim ſalus mea in Domino: quæ me morti adiudicatum liberaſti.

Quid pro his retribuam tibi niſi me totum? Domina ſuſcipe me.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. *Angelorum laudes, Virgo & hominum,*
℟. *Promereris prima poſt Dominum.*
℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

PETITIO.

SAncta Mater pietatis, & totius Trinitatis, nobile Sacrarium. Cor contritum, caſtum, rectum, pium, humile, perfectum, nobis da per filium. Amen.

AD TERTIAM.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYMNUS.

DE mulierum numero,
Hæc ſola præſervata.

Fuit Matris in utero,
Sancta absq; labe nata.
Hæc anno vitæ tenero,
Templo fuit præsentata,
Castitatem DEO vero,
Vovit sponte dedicata.

ANTIPHONA.

Virgo, candidum es lilium, inter spinas, ô flos convalium.

LEgem pone mihi Domina, voluntatis tuæ: sanctarum sanctissima, & exquiram eam semper.

Deduc me in semitam miserationum tuarum mulierum pulcherrima: quia ipsā volui.

Inclina animam meam ad supernorum amorem Domina: & non ad impudicitiam.

Ecce concupivi castimoniam tuam à iuventute mea, in misericordia tua confirma me.

Et observabo viam testimoniorum tuorum in sæculum: & scrutabor mandata filii tui quæ dilexi.

Gloria Patri, &c.

MEmor esto verbi tui dominarũ primiceria: in quo mihi spem dedisti.

Hæc in tempastatum fluctibus, potenter tenuit me: quia eloquium tuum vivificabit me.

Circumdederunt me viri mendaces: & congregata sunt super me flagella, & ecce manus tua eripuit me.

Communicavi in bonis omnibus timentibus te: & custodientibus obnixe mandata tua.

Miserationibus tuis plena est terra: ideò viam iustificationum tuarum exquisivi.

Gloria Patri, & Filio, &c.

BOnitatem fecisti cum servo tuo Domina: de qua gaudent Angeli.

Disciplinam morum tuorum & æquitatem tuam doce me: quia verbis tuis præ cunctis credidi.

Bonum mihi quia onere tuo humiliasti me: ut sequar conversationem tuam.

Qui te amant, servientes tibi venerabuntur: qui autem abominatus fuerit, eos ruet in æternum.

Veniant mihi ſemper deſuper gratiæ clementiæ tuæ: & vivam, quia lex tua meditatio mea eſt.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. *Per te mundus accepit Puerum,*
℟. *Per quem ſordes lavantur ſcelerum.*
℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

SALUTATIO.

AVe candidum lilium fulgidæ, ſemperque tranquillæ, Trinitatis, roſaque perfulgida cœlicæ amœnitatis, de qua naſci, & de cuius lacte paſci, rex cælorum voluit: Divinis influxibus animas noſtras paſce, Amen.

AD SEXTAM.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYMNUS.

CAuſa veræ munditiæ,
Nec non ſanctitatis:

Carnem

Carnem nostræ miseriæ
Sumpsit & humanitatis.
Peperit Regem gloriæ,
Nil trahens anxietatis:
Manente pudicitia,
Florēq; virginitatis.

ANTIPHONA.

Virgo florens rosa, Mater Domini speciosa.

DEfecit in semitis tuis anima mea Domina: & nisi miseratio maxima esset, perijssem utique in infirmitate mea.

Defecerunt oculi mei in contemplatione tua: velut iter in pruina à te visa est anima mea.

Secundum bonitatem tuam vivifica me: & non obliviscar sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est.

Ordinatione filij & intercessione tua perseverat mundus: quem Dominus Deus fundavit ab initio.

Tuus totus ego sum Domina, sperantem in te: per Nati merita salvum me fac, quoniam desiderabiles erant laudes

tuæ tempore peregrinationis meæ.
Gloria Patri, & Filio, &c.

QUomodo dilexi legem tuam Domina: in conſpectu meo ſemper.
Suavitatum tuarum affluentia, cor meum alienavit à me: & caro mea mirabiliter exultavit in te.
Quam dulcia peccatoribus eloquia tua Domina: ſuper omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo.
Illuminatio greſſibus meis verbum tuum: & lumen ineffabile ſemitis mei.
Quoties exaſperaverunt me peccatores inferni, quia à charitate tua declinare nolui: ego autem ſperavi in te Domina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

INiquos odio habui: & viam tuam dilexi Domina gratioſa.
Adiuva me, & ſalvus ero Domina mũdi: & meditabor honorificentiam mandatorum tuorum.
Fac me ſemper ſtare in timore tuo, & non tradas me Virgo calumniantibus me.
Vernaculus tuus ego ſum: minimus in familia tua. Cuſto-

Custodi me Domina: à negligentibus iustitiæ tuæ.

Contemnes omnes discedentes à servitio tuo: quia iniusta est conversatio eorum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. *Tantus honor tibi est in filio,*
℟. *Quod humana non capit ratio.*
℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Laudatio.

LAudo te Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus tabernaculum, per Iesu Christi Filij tui cor dulcissimum orans, ut nunc, & in morte tuum mihi præstes subsidium, Amen.

AD NONAM.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYM-

HYMNUS.

CHristum ſuis uberibus
Virginali lacte pavit:
Et faſciolis pauperibus
Involutum deportavit.
Cibiſq; melioribus,
Quos habuit, tunc cibavit:
Donec à puerilibus
Paulatim annis migravit.

ANTIPHONA.

Virgo ſummè mitis, es fœcundiſsima vitis.

MIrabilia teſtimonia tua Mater alma: & ſermonibus tuis illuminatum eſt cor meum.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, filij regum collaudabunt faciem tuam.

Ardens verbum labiorum tuorum vehementer: qui ad te properat percipiet illud.

Arundo agitata ſum in conſpectu tuo: tene me Domina, ſub iugo tuo & non confundar.

Servientes tibi plus alijs invadunt dracones inferni: ſed tu Domina defende nos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

CLamavi in toto corde meo ad te Domina: de neceſſitatibus meis clemẽter eripe me.

Vocem gemitus mei exaudi, Domina mea: doce me ut acceptus ſum apud te omni tempore.

Longe à neſcientibus te ſalus: qui autem per ſtat in obſequio tuo procul fiet à perditione.

Miſericordia rigat orbem univerſum: Domina in ſalutari tuo vivifica me.

Initium eloquiorum tuorum veritas in æternum: & legem tuam immaculatam non ſum oblitus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PRincipes perſecuti ſunt me gratis, & ab in vocatione nominis tui trepidat ſpiritus malignus.

Pax multa obſervantibus nomen tuum Mater Dei: & non eſt illis ſcandalum.

Septe-

Septenis horis decantavi tibi laudes Domina: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret oratio mea in conſpectu tuo, ut non derelinquam te Domina cunctis diebus vitæ meæ: quoniam viæ tuæ miſericordia & veritas.

Concupiſcam in æternum laudare te Domina: cum docueris me iuſtificationes tuas.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. *Quæ in cælo regnas in ſæculum,*
℞. *Chriſtianum defende populum.*
℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

VENERATIO.

MARIA decus Virginum, Angelorum ſpeculum, ſcala Sanctorum omnium, tutum peccatorum refugium, cerne ô piiſſima, noſtrum periculum, in morte tuum nobis placatum oſtende filium & vultum tuum gratioſum. Amen.

AD VESPERAS.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

Mane nobiscum Domina, mane: Vesperascit; deviantes dextera tene.

PSALMUS.

DIxit Dominus Dominæ nostræ: sede Mater mea à dextris meis.

Bonitas & sanctitas placuerunt tibi: ideo regnabis mecum in æternum.

Corona immortalitatis in capite Sancto tuo: cuius fulgor & claritas non extinguetur.

Miserere nostri Mater luminis & splēdoris: illumina nos Domina veritatis & virtutis.

De thesauris tuis infunde nobis sapientiam Dei, intellectum prudentiæ, & formam disciplinæ.

Gloria Patri, & Filio &c.

PSALMUS. II.

LAudate Pueri Matrem Domini, glorificate senes nomen sanctum eius.

Benedicta sit Maria Mater Christi: ipsa est enim via ad patriam salutis.

Excelsus super Cherubin thronus eius: & sedes eius super cardines cæli.

Super mites & humiles vultus eius: & super confidentes in ea aspectus illius.

Misericordia eius super omnem carnẽ: & potentia illius in & cum Filio, usque ad extremum terræ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS III.

IN exitu animæ meæ de hoc mundo: occurre illi Domina, & suscipe illam.

Consolare eam vultu sancto tuo: aspectus dæmonis non conturbet eam.

Esto illi scala ad Regnum cælorum: & iter rectum ad paradisum Dei.

Impetra ei à Patre indulgentiam pacis: & sedem lucis inter servulos tuos.

Sustine devotos tuos ante tribunal Christi: suscipe causã ilorũ in manibus tuis.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

ET post Christi passionem,
Quam præsens vidit Maria,
Ac eius Ascensionem,
Usq; ad regna cælestia.
Templi petit mansionem,
Sicut prius Virgo pia.
Frequentans orationem,
Donec fuit vitæ via.

CANTICUM D. VIRGINIS.

MAgnificat nunc anima,
Et Dominum mens intima:
Et in salutari meo,
Spiritus exultat Deo.
Quia respexit parvulæ
Humilitatem famulæ:
Ex hoc enim me singuli,
Dicent beatam populi.
Magnam sua potentia
Me fecit, & clementia:
Quæ generationibus,
Pios sequetur omnibus.

Disperſit ille brachio,
Corde ſuperbos, impio:
Sede potentes depulit,
Et pauperes hic extulit.
Ut fame preſſis, illa det,
Quæ male dives poſſidet:
Suſcepit Iſrael ſuum,
Memor Priorum, Puerum.
Locutus eſt quæ Patribus,
Et Abrahamo Dominus:
Semen tuum perpetua,
Creſcet ad uſque ſæcula.
Magnifica ſis Domina,
In cælo & in terra:
Benedicta & glorioſa,
Et ſuperexaltata in ſæcula.

℣. *Cuſtodi nos ut pupillam oculi,*
℟. *Sub umbra alarum tuarum protege nos.*
℣. *Domina exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

INVITATIO.

VEſper iam venit, nobiſcum, Virgo, maneto;

Extingui

Extingui lucem, nec patiâre
tuam.
Crimina non animæ noceant,
tu pelle tenebras.
Perpetuò, ut possim, lumine,
Diva, frui.

AD COMPLETORIUM.

Convertat nos Domina, tuis precibus,
Tuus placatus Christus Filius.
Et divertat iram tuam à nobis,
Cum diei finis, & nox valde hostilis.
Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

Noctem quietam & vitæ finem, impetret nobis, Virgo, perennem.

PSALMUS I.

QUi habitat in adiutorio Matris Dei: in protectione ipsius commorabitur.

Concursus hostium non nocebit ei: & sagitta volans non tanget eum.

Quoniam liberabit eum de laqueo insidiantis: sub pennis suis proteget eum.

Clamate ad illam in periculis vestris: & flagellum non appropinquabit tabernaculo vestro.

Fructus gratiæ inveniet, qui speraverit in illa: porta paradisi reserabitur ei.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS II.

ECce nunc benedicite Dominam: omnes qui speratis in nomine sancto eius.

Gaudete gaudio magno, qui exaltatis & glorificatis eam, quia satiabimini ab uberibus consolationis eius.

Ecce enim inundanti ubertate, declinabit in nos ad consolandum, & confortandum corda vestra.

Benedicite illam omnes servi eius: & memoriale vobis sit in desiderio animæ vestræ.

Benedicite illã omnes Angeli & Sancti Dei: laudate in sæculum mirabilia eius.

Gloria Patri, & filio, &c.

PSALMUS III.

LAudate Dominã nostram omnes gentes: glorificate eam omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos gratia & miſericordia eius: & veritas illius permanent in æternum.

Qui digne coluerit illam, iuſtificabitur: qui autem neglixerit illam, morietur in peccatis ſuis.

Labia Angelorum enarrabunt ſapientiam eius: & omnes paradiſi cives cantabunt ei laudem.

Bono animo qui accedit ad illam: non capietur ab angelo devaſtante.

Gloria tibi ſit Advocata noſtra: ſervos tecum ducas ad regna beata.

HYMNUS.

IN obitu convenerunt
Omnes eius diſcipuli:
Ipſamq; ſepelierunt,
Et poſt tres dies ſinguli,
Corpus in ſepulchro quærunt,
Nil inveniunt ſeduli:
Illud aſſumptum aſſerunt
In cœlum, omnes creduli.

℣. *Serva nos Domina vigilantes, cuſtodi nos dormientes.*

℟. *Ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.*

CANTICUM.

NUnc dimittis servum tuum Domina, secundum voluntatem Filij tui in pace.

Quia sacrosanctum viderunt oculi mei, & Verbum salutare, quod CARO FACTUM: susceperunt brachia cordis mei.

Parasti mensam ex fructu ventris tui, Angelorum pane refertam, ante faciem populorum.

In convivium viatorum ad acquisitionem gratiæ, & revelationem gloriæ, plebi suæ electæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

COMMENDATIO.

MAter digna DEI, veniæ via, luxque diei. Sis tutela rei, duxque comesque mei. Sponsa DEI, miserere mei, lux alma diei, digna coli, Regina poli, me linquere noli, nixa Deum, defende reum, mihi dando trophæum. Me totum Virgo pia, genitrix commendo Maria.

OBLA-

OBLATIO.

TUæ Matris in honorem,
Corde devoto & ore:
Has, Christe, Horas diximus,
Mariam quoque petimus:
Ut peccatorem fætore,
Materno precum fervore,
Mundet nos suas Clientes,
In cœlo tecum gaudentes.

SERTUM

FLOSCULIS L. MYSTICIS, ALMO VIRGINIS CAPITI GRATIOSUM.

Offero verba tibi sacra quinquaginta MARIA,
Hoccé virens Sertum, suscipe, Virgo pia.

AVE, SALVE, GAUDE, VALE, ô MARIA.

AVe, salve, gaude, vale, ô MARIA, non vernale, sed his rosis spirituale, tibi

plecto nunc crinale, figurarum flosculis.

Ave Virgo Sponsa nata, Christi Mater sublimata, ab æterno ordinatà, ab antiquo prophetata, Dei placens oculis.

Ave rosa delicata, Regum de radice nata, & trans cœlos exaltata, & per mũdum dilatata, sis nobis umbraculum.

Ave cœlum Deitatis, paradisus voluptatis, aula summæ Maiestatis, templum Sanctæ Trinitatis, Christi tabernaculum.

Ave Sponsa dedicata, paranympho salutata, Deo Patre obumbrata, pneumateque imprægnata, genitrix Vnigenæ.

Ave Virgo gravidata, in rubo Moysi signata, igne sacro inflammata, per te simus advocata, cœlorum indigenæ.

Ave Mater Salomonis, digna sceptris & coronis, digna summis Nati donis, quæ in cœli regnas thronis, ô Regina gloriæ.

Ave vivus fons hortorum, quem mens sitit contritorum, lava labem peccatorum, nectar præbe supernorum, ö pincerna veniæ.

Ave clara Stella maris, quâ processit lux solaris, quæ per montem designaris, unde lapis angularis, venit sine manibus.

Ave

Ave fulgens Arca Dei, cuius nitor ſpeciei, lucem ſuperat diei, tota virtus meæ ſpei, his intende precibus.

SALVE, GAUDE, VALE, ö MARIA.

SAlve campi flos, quæ miris ſignis fulges, dum oriris, mox à tuis dum ſentiris, favum mellis elargiris, dos divini muneris.

Salve arcus äërinus, glorioſus non ſupinus, clara luce veſpertinus, Te illuſtrat ſol divinus, ſtans in ſignum fœderis.

Salve ò columna ignis, nec non nubes miris ſignis, nos educens à malignis, per deſertum, iunge dignis, in promiſſa patria.

Salve virga Ieſſe, florem, fers, qui cælis dat decorem, tibi Virgo dat ſaporem, ſuavem terris dat odorem, profugantem vitia.

Salve Mater benedicta, in qua nulla ſunt delicta, Evæ iugo non aſtricta, nec in partu es afflicta, ſed enixa iubilans.

Salve humilis ancilla, Dei veri, quem puſillâ tuâ lactas ex mammila: luce frui fac nos illa, in qua fulges rutilans.

Salve Virgo singularis, Mater tamen miri maris, unde sola expers paris, digne cunctis dominaris, in supremo solio.

Salve Sabba generosa, ô Regina speciosa, dona Regis pretiosa, Imperatrix gratiosa, nobis in exilio.

Salve, cui dulce fari, de qua pium meditari, in qua suave iucundari, quam beatum amplexari, est amoris brachijs.

Salve speculum virtutum, sis certanti hîc in scutum, hostem reprimens versutum, mole carnis me exutum, cæli iunge gaudijs.

GAUDE, VALE, ô MARIA.

GAude, cuius ob dulcorem, cor liquescit per amorem, hunc affectus ad amorem, mens discurrit post odorem, tuum, vernans lilium.

Gaude thronus, quem dum stravit, ebur candens adaptavit, auro fuluo decoravit, Deus in quo collocavit, Regem suum filium.

Gaude lampas, quam extruxit Deus: quæ dum orbi luxit, nova nobis tunc illuxit, quæ ad lucem nos reduxit, lux inextinguibilis.

Gaude

Gaude ſumma creatura, Mater vera, Virgo pura, quæ naturæ frangis iura, quādo in te fit factura, factor admirabilis.

Gaude fructuoſa tellus, madens Gedeonis vellus, quod perfudit ros novellus, quo veſtitus eſt agnellus, DEI Patris unicus.

Gaude gaudium Sanctorum, in qua gaudet Rex cælorum, quam honorat plebs iuſtorum, quam in ævum Angelorum, cantus canit mellicus.

Gaude ſtellis coronata, ſolis luce trabeata, ſub qua luna eſt locata, ſemper manens illibata, virum cingit fæmina.

Gaude ſchola diſciplinæ, gloſſa legis, fons doctrinæ, vas cæleſtis medicinæ, his quos culpæ pungunt ſpinæ, funde medicamina.

Gaude Virgo læta plaude, & ſic vitam noſtram claude, ut qui dicunt tibi gaude, ſemper tecum ſint in laude, in cælorum culmine.

Gaude, quia ſemper tecum Deus manet, & tu ſecum per quem precor, ut ſis mecum, & cor meum luſtret tecum, vultus tui lumine.

VALE,

VALE, ô MARIA.

VAle florens & amæna, ante ortum luce plena: ſed in ortu plùs ſerena, quàm non ſtringit gelu pænâ, puritatis viola.

Vale virga radioſa, Aaron prodigioſa, fronde flore germinoſa, fructu valde ſpecioſa, proferens amygdala.

Vale urna, manna merum, panem cæli portans verum, qui confortat cor ſincerum, & in finem eſt dierum, omnibus ſufficiens.

Vale vitis quam plantavit Pater: verbum fecundavit, lenis Auſter dum perflavit, botrus Cypri pullulavit, mire nos reficiens.

Vale rubens, & decora, veri ſolis tu Aurora, clare fulgens omni hora, viſitando nos irrora, ſuavitatis balſamus.

Vale thronus dedicatus, manu Dei fabricatus, Dei digito ornatus, Chriſto ſpõſo præparatus, caſtitatis thalamus.

Vale prudens advocatrix, ô Abigail placatrix, ſola mundi reparatrix, Moabitis Ruth oratrix, Sunamitis Regia.

Vale pulchra Iudith fortis, necans trucem dur-

cem ducem mortis: Hester, nos de mortis portis, duc, ut simus tuæ sortis, in cælesti curia.

Vale semper & lætare, & qui digne collaudare, te nequimus: hoc dignare, tu pro laude acceptare, laus humani generis.

Vale Virgo, tibi clamo, ô Maria, nam te amo, pietatis tuæ ramo, solve me de mortis hamo, collocans in dexteris.

Ô MARIA.

O MARIA dulcor florum, virtus myrrhæ & cedrorum, vis malorum punicorum, cella fragrans unguentorum, cellaque vinaria.

O MARIA, flos rosarium, cynamomi, olivarum, nardi, cyperi, palmarum, myrrhæ, thuris, fistularum, vincis pigmentaria.

O MARIA clausa porta, clausus hortus; nos conforta, tu de Regum stirpe orta, paradiso nos reporta, virginum primitiæ.

O MARIA mellis crater, te elegit Deus Pater, eius Nato, ut sis Mater, qui per te est nobis frater, ô inventrix gratiæ.

O MA-

O MARIA Regis veri, virga aurea Aſſueri, iram iudicis ſeveri, ſcis lenire; ut mederi malit quàm percutere.

O MARIA inſignita, David turris præmunita, in ſupremo cælo ſita, per te cohors ſit contrita, quæ nos cupit lædere.

O MARIA tu ſublimis, ſcala cœli, præſſos nimis duc in altum, nos ab imis, ſociando nos optimis ſupernorum civium.

O MARIA ſponſa dia, quam cæleſtis hierarchia, iugi laudat ſymphonia, audi preces, Mater pia, tibi ſupplicantium.

O MARIA ſemper ave, ſertum hoc ne ducas grave, Chriſti ſummum tu Conclave, te ut laudem, mihi fave in æterna gloria.

O MARIA recreamen, placa Patrem, Natum, Flamen, ut finale poſt examen, Sanctis nos coniungat, Amen, in cœleſti curia.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Maieſtatis ſpeculum, Angelorum ſolatium, peccatorum refugium, tuæ bonitatis immaginem Beatam MARIAM Virginem, in filij tui Conceptione, Nativita-

tivitate, Regum oblatione, Præſentatione, Reſurrectione, Aſcenſione, Sancti Spiritus miſſione, ſuiq́ue ipſius in cælum Aſſumptione, lætitiarum ſuavitate inæſtimabili repleviſti: quæſumus, vt hanc præ cunctis celebrem, cœlici fulgoris lampadem, Sanctorum Principem, munere largiſſimam, & almæ Trinitati proximam, in gaudijs æternaliter videre mereamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

MONILE.

EX ROSIS MYSTICIS,

Pro vſu quotidiano.

CREDO.

Beneficium Prædeſtinationis.
Pater noſter.

OMnipotentia Patris,
Sapientia Filij,
Amor Spiritus Sancti.

Ave Maria.

Beneſi-

Beneficium Creationis.

Pater noster.

Angelus ad Mariam,
Maria ad Elisabeth,
Nascitur in Bethleem,
Annunciatur Pastoribus, *Ave Maria.*
Circumciditur.
Adoratur à Magis,
Præsentatur in Templo,
Fugit in Ægyptum,
Cædes Innocentium,
Redit ex Ægypto.

Beneficium Conservationis.

Pater noster.

Ascendit in Templum Hierusalem,
Baptizatur in Iordane,
Ieiunans tentatur,
Apostolos vocat, *Ave Maria.*
Docet, miracula patrat,
Paupertatem & iniurias tolerat,
Transfiguratur.
Ingreditur Hierusalem,
Manducat agnum,
Discipulorum pedes lavat.

Benefi-

Beneficium Redemptionis.

Pater noſter.

SS. Euchariſtiæ Sacram. inſtituit,
Egreditur in hortum Gethſemani,
Proſtratus orat,
Sangvinem fudat,
Oſculo traditur à Iuda,
Comprehenditur à militibus,
Deſeritur à Diſcipulis,
Ducitur ad Annam, cæditur à ſervo,
Ducitur ad Caipham,
Veritas à falſis teſtibus accuſatur,

Ave Maria.

Beneficium vocationis.

Pater noſter.

Splēdor paternæ gloriæ ſputis fædatur,
A Petro pernegatur,
Apud Pilatum accuſatur,
Ab Herode alba illuditur,
Reductus flagellatur,
Spinis coronatur, Purpura induitur,
Ecce homo, indigitatur.
Barrabæ poſtponitur,
Morti adiudicatur,
Crucem baiulando, Filias Hieruſalem flentes ſolatur,
Inter Latrones crucifigitur.

Ave Maria.

Beneficium iustificationis.

Pater noster.

Pro Crucifixibus Orat,
Latroni Paradisum promittit,
Matrem Discipulo, Discipulum
Matri commendat,
Felle & aceto potatur,
Animam in manus Patris inclinato
capite commendat,
Valido clamore exspirat,
Latus lancea aperitur,
Patres in lymbo visitat,
Deponitur, sepelitur,
Tertia die resurgit.

Ave Maria.

Beneficium glorificationis.

Pater noster.

Apparet Matri,
Apparet Magdalenæ,
Duobus in Emmaus,
In mari piscantibus,
Thomæ cum reliquis clausis,
Plus quàm quingentis fratribus,
Novissime vndecim,
Ascendit ad Patrem,
Spiritum Sanctum mittit,
Assumit Matrem coronatam.

Ave Maria.

ARMIL-

ARMILLÆ
PRORSUS AUREÆ.
Pro dextera.

O MARIA Virgo, propter gaudium, quod in terris habuisti, dum Dei filium in tuo castissimo vtero cõcepisti, quodq; nunc in cœlis habes, ex eo, quod tu in gloria omnes electos excellis, ora pro me cum omnibus Sanctis Angelis.

O MARIA Virgo, propter gaudium, quod in terris habuisti, dum filium tuum mundo peperisti, qudque nunc in cælis habes ex eo, quod tua claritate cœlestem Hierusalem illustras, ora pro me cum omnibus Sanctis Patriarchis & Prophetis.

O MARIA Virgo, propter gaudium, quod in terris habuisti, in oblatione & adoratione trium Regum, quodque nunc in cœlis habes, ex eo, quod te laudant, adorant, tibique obediunt, omnes electi, ora pro me cum omnibus Sanctis Apostolis & Evangelistis.

Pro Læva.

O MARIA Virgo, propter gaudium, quod in terris habuiſti, dum filius tuus à mortuis reſurrexit, quodque nunc in cælis habes, ex eo, quòd tibi cum Deo eſt una voluntas, nihilque tibi negans te honorat, ora pro me cum Sanctis Martyribus.

O MARIA Virgo, propter gaudium, quod in terris habuiſti, dum filius tuus tibi & Apoſtolis Spiritum Sanctum in linguis igneis miſit, quodq; nunc habes in cælis, ex eo, quòd Sanctæ Trinitati ſeſſione proxima exiſtis, ora pro me cum omnibus Sanctis Virginibus & Viduis.

O MARIA Virgo, propter gaudium, quod in cælis habuiſti, dum Filius tuus Dominus noſter IESUS Chriſtus te poſt huius vitæ curſum ſuper omnes Choros Angelorum glorioſe corpore & anima glorificatam exaltavit, teq; univerſalis regni diademate imperiali excellentiſſime coronavit, ac regio ſceptro inſignitam in throno gloriæ ad dextram ſuam collocavit;

vit; ora pro me cum tota Curia cæle-
ſti, ut nos ſub uberibus maternæ pieta-
tis tuæ, nunc & in hora exitus noſtri, de-
fenſi filio tuo iudici clementi cùm electis
digne repreſentari mereamur, Amen.

INAURIS

REGINA CÆLI AURI-BUS GRATIOSISSIMA.

REgina Virgo Virginũ, quæ genuiſti
Dominũ; Triumphatorẽ Zabuli, Re-
paratorẽ ſæculi: Ego peccator nimiũ, â
te peto remediũ: Eſto Patrona miſero, ſa-
lus atque defenſio, incumbunt hoſtes un-
dique, mortem quærentes animæ, foris
perverſi homines, intus maligni dæmones;
nam mihi multa vulnera, inflicta ſunt, ô
Domina; quæ niſi tu deleveris, ſunt mihi
cauſa funeris, nam conſenſi ſuadentibus,
mortale crimen hoſtibus, & ob hoc reus
videor, culpam meam confiteor. Nam
quinque ſenſus corporis, effeci portas cri-
minis, pulchra videndo cupiens, lene tan-

gendo diligens, audivi libens turpia, narravi gaudens frivola, nares replevi sæpius, illicitis odoribus, esu potuq; dulcium, sum delectatus nimium, peccavi per superbiam, & per inanem gloriam, pollutus sum periurio, contaminatus odio, per iniquum mendacium, sæpe fefelli proximum, iræ & avaritiæ, servivi & luxuriæ, in corpore & anima, multa commisi scelera, nam corpus quæ non potuit, mens perpetrare voluit, me turpis cogitatio, me pestilens locutio, iniquitas consensuum, me culpa damnat omnium. Hæc tibi nunc confiteor, ô cunctis Sanctis sanctior, tu causam meam suscipe, tu dignū pænis eripe, exora tuum Filium, ut mihi det remedium, ex tua carne genitus, favebit tuis precibus, is, quem uterus peperit, nihil negare poterit, per eius natalitium, per ipsius ieiunium, per asperas miserias, flagella, sputa, alapas, quas spōte sua pertulit, qui se pro nobis obtulit & per vestem coccineam, & per coronam spineam, per clavos, per patibulum, per cicatrices vulnerum, per aperturam lateris, per rivum Sacri Sanguinis, per

nis, per Sanctam Eucharistiam, & per Baptismi gratiam, per Sacramenta fidei, quæ corde credens didici imploro te pijssima pro impetranda gratia, ut mihi Christi Passio, culparum sit remissio, virtutum augmentatio. O Maria solamen, roga Patrem, Natum, Flamen, ut finale post examẽ, cum Sanctis dicam, A.

VELLUS AUREUM XV.

Virtutum Gemmis ornatum.

AD SACRAM SACRI Agnelli Matrem.

Sapphirus Innocentiæ.

SAlve cui nulla est aspersa nocẽtia, Virgo;
Hoc missum cælo testificatur Ave.

Hyacinthus Verecundiæ.

Virginei fueris semper quàm plena pudoris.
Edocuit facies ad pia verba gravis.

Smaragdus Castitatis.

Salve candiduli flos intemerate nitoris.
Quem non fuscarunt oscula tetra virum.

Amethystus Humilitatis.

Salve syderij Gabriele ferente Tonantis.
Quæ dederas humiles, ad pia iussa, sonos.

Topasion Obedientiæ.

Obsequeris Virgo dictis, Archangelus almus.
Quæ tibi stelligera fudit ab arce pijs.

Adamas Fidei.

Mater Ioannis, fertur, vocitasse Beatam.
Te cuius latuit pectore firma fides.

Berillus divini favoris.

Quod benè grata DEO *fueris, lætare, beata:*
Edocet ingenio, pagina causa, tuo.

Sardius Spei.

Spes tibi certa fuit, nec eâ cumulatior vnquam:
Creditur humano corde habuisse locum.

Chrysolithus Paupertatis.

Æris inops rutili, prolem quam ventre tulisti,

Immun-

Immundæ fragili ſtramine ponis haræ.

Sardius Prudentiæ.

Chriſti Mater, ave prudens, quæ pectore verba
Paſtorum verſas, fixaque corde foves.

Calcedonius Iuſtitiæ.

Cùm ſua quiſque ſibi te collibrante recepit,
Iuſtitior, in mundo, te mage nulla fuit.

Chryſopraſus Patientiæ.

Quod fueris patiens gravium benedicta laborum,
Edocet Ægyptus conſciæ ſola fugæ.

Pyropus Pietatis.

Quanta tuo fuerit pietas ſub corde repoſta,
Eloquitur Chana facta Lyæus aqua.

Carbunculus Charitatis.

Multus amor teneros, gaude, quia fixerat artus,
Sub cruce, quis tecum nolit adeſſe Cruci?

Zignites Devotionis.

Summa tibi, ut eſſes, fuerat devotio, Virgo,
Inter Diſcipulos, magna Magiſtra tuos.

DIADEMA
XII. PRIVILEGIORUM STELLIS.

Ad Augustam, Regis Regum Summi Imperatricem.

AVE

Mater pietatis, & totius Trinitatis, nobile triclinium.

AVE

Tantæ dignitatis, ut sis consors DEI Patris, præ potens auxilium.

AVE

Tui creatoris, Mater nostri Redemptoris, Virgo prudentissima.

AVE

Sponsa delicata, Paracleto consecrata, dulcis, clementissima.

SALVE

Tu es semper DEO grata, Ab omni væ præservata, cuiusvis peccaminis.

SALVE

Donis illustrata, virtutibus adornata, cunctis quoq; gratÿs.

SALVE

SALVE

Virgo peractiva, summaq; contemplativa, omnium sanctissima.

SALVE

Nostra consolatrix, filij cooperatrix, Martyr constantissima.

GAUDE

Iam glorificata, supra cunctos exaltata, corpore & anima.

GAUDE

Sceptris & coronis, fulgens cunctis DEI donis, Christo sedens proxima.

GAUDE

Decus Angelorum, honor, gaudium Sanctorum, universis imperans.

GAUDE

Nostra mediatrix, afflictorum consolatix, nostri semper miserans.

HOMAGIUM.

O Augustissima, excellentissima terræ poli terræq; Imperatrix in horum privilegiorum, potestatis, honoris & gloriæ, tamque ineffabilis gaudij recordationem,

oniem, hoc diadema tot immunitatum prærogativis ac duodecim privilegiorum ſtellis coruſcans ante thronum tuæ Maieſtatis mittens, tibi offero, recognoſcendo te Dominam meam clementiſſimam, cui me totum ſpondeo, ac ſervulum profiteor ſub imperij tui ſervitute perpetuò victurum. Tu igitur tantæ gratiæ, gloriæ, excellentiæ, ac Maieſtatis, tibi collatæ, ac maternorum viſcerum tuorũ erga nos clientes memor hoccẽ Diadema ſtelligerum, una cum Vellere aureo, In auribus, Armillis, alijſvé monilibus, quibus coronata in cælo reſides, gratioſe ſuſcipere, nos regere, nos ſceptro potentiæ tuæ defendere digneris: ut ſemper in tuo, filijq́; favore dum vivimus permaneamus, quo ad te, ô Heroina, cum filio in viſione beatifica regnantem, coronis ſceptriſque fulgentem, glorificati, videre, aſpicere, gaudere ac cõgratulari poſſimꝰ æviternum.

PANDO-

PANDORÆUM

Ad Æterni Principis Filiam.

Laudaverunt eam, Reginæ,
Ob dotes: nostræ Heroinæ.

O Mulierum formosissima, quàm pulchra es principis filia? quàm pulchra es, amica nostra, soror nostra, sponsa nostra, quàm pulchra es absque eo quod intus latet. Nam oculi tui sicut columbarum supra aquas, capilli tui sicut greges caprarum, in vno crine vulnerasti dilectum; aures tuæ murenulis aureis vermiculatis argento, exornatæ; dentes tui nitidiores ebore, sicut loti greges tonsarum; labia sicut vitta coccinea; genæ tuæ sicut fragmen mali punici: collum tuum sicut monile; guttur suavissimum; mel & lac sub lingua tua, vox tua dulcis super favum; facies tua decora; odor vestimentorum sicut odor thuris; ubera meliora vino, flagrantia unguentis optimis; manus tuæ tornatiles, plenæ hyacinthis myrrham optimam stillantes; gressus tui pulchri in calceamentis,

mentis, ut filiæ principis; pedes ſpecioſi, quibus progrederis quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Quid multis? Tota pulchra es, ſponſa noſtra, ſoror noſtra, Mater noſtra, tota pulchra es? & macula non eſt in te. Pulchritudinem tuam demirantur Sol & Luna; ſtupeſcunt Angeli, pulchritudine tua rapitur in Canticis Salomon; pulchritudine tua raptus eſt B. Dionyſius Areopagita coëtaneus tuus: is vivus vivam cum in terris Deiparam te inviſiſſet, ſtupens nonne exclamavit: Niſi me ratio, niſi me religio aliud doceret, Te, Te, tanquam Deam colerem, te venerarer, adorarem. *(Teste Ubertin. lib: 4. de vit: Salvat: Teſte Cartuſiano ſup: Dionyſ:)*

Deliquium animæ.

O Pulchritudo materna ſerò te amavi, ô pulchritudo mihi perdilecta, in te omnis gratia vitæ & pulchræ dilectionis; ô amor, ô deſiderium, ô dulcedo, en liqueſcit anima mea præ tenero pul-

ro pulchritudinis dulcore: quis mihi det ex condito malorum granatorum vino, ut refrigerem cor ardens meum; amore langueo ſtipate me malis, fulcite me floribus, amore laugueo, ſatis eſt Domina, ſatis eſt.

FAVOR
A MATRE FAVORABILI
Per Filium ſperandus.

O Maria Mater lucis, quæ ad lumen nos reducis; eſto mihi prævia.

Servi tui preces audi, & intentum tuæ laudi: Chriſto reconcilia.

Ora regem tuum natum, ut me multis implicatum, curis & erroribus.

Mundum reddat à peccatis, & infundat veritatis, lumen meis ſenſibus.

Cum fervore charitatis, det amorem paupertatis, cor mundum & humile;

Cor contritum, abnegatum, rectum, gratum transformatum, patienſq́; ſtabile.

Mores pios & iucundos, & ab omni

ſorde

ſorde mundos, quos exornet pietas.

Appetitum æternorum, & contemptū mundanorum, ubi totum vanitas.

Et agenda docet noſſe, velle ſimul atque poſſe, pro me pia poſtula.

Ut cum mortis ſolvam iura, me defendas à præſſura, per æterna ſæcula, A.

* *

ACCLAMATIONES
IN VIRGINEA, CASTISSIMÆ Virginis membra.

TOt Matri laudes offerimus;
Quod Virginis artus colimus.

SAlvete membra, regiæ,
Caſta, pudica, Filiæ,
Quæ caſtitatis principem,
Deum dedit ac hominem.
Salve caput prænobilis,
Et venerandæ Virginis:
Bis ſex corona, quod pijs,
Plus ſole, claret ſtellulis.
Salvete caſti ſinguli,
Deum videntes oculi:

Æterni-

Æternitatis lumine,
Ut eſt potenſq; Numine.
Salvete & aures gaudio,
Quæ ſuſcepiſtis Angelo:
Verbum, quod in principio,
In carne iam ſit cum Deo.
Salvete nares quas amor,
Sponſus replevit ut odor:
Aromatum ſuaviſſimus,
Quo roboratur animus.
Salvete Virginis pia,
Caſti pudoris labia:
Emmanueli dantia,
Mille amoris oſcula.
Et lingua ſalve, quæ tuum,
Magnificaſti Dominum:
Et cantico mellifluo,
IESUM canis perpetuò.
Os ſalve Sanctum, Spiritus,
Flamma replevit, quod Deus:
Amoris, ut igniculo,
Chriſtum beares oſculo.
Salve decorum Virginis,
Guttur, eum mellifluis:
Dum laudibus proſequeris.
Quem corde puro diligis.

Bis ſalve pectus, quod eum,
Templum velut eburneum:
Corde tegebas Dominum,
Qui redemptor eſt hominum.
Tu quoque ſalve gremium,
Quod nutriebas Dominum:
Hoc, hominum ſolatio,
Rex fuit in palatio.
Salvete Matris brachia,
Dilecto ſemper obvia;
Tribus qui tenet digitis,
Pondus & orbis & maris.
Salvete manus Virginis,
Læva cum dextra, ſtringitis:
Emmanuelis lectulum,
Quo iacuit Rex hominum.
Salvete Virginis pia,
Dilectionis viſcera:
Dignata portare Deum,
In carne natum filium.
Salvete Matris vbera,
Quæ dixit illa fæmina:
Beata, quæ lac puero,
Tanto dediſti Domino.
Salvete Matris genua,
Quæ Dominum procidua:

Tot

Tot coluiſtis precibus;
Laudibus & honoribus.
Salvete Virginis pedes;
Viſere Templum toties,
Et poſt & ante Domini
Aſcenſionem, ſoliti.
Salve pudicum Virginis,
Corpus ut expers criminis:
Quo prodijt caſtiſſimo,
Sponſus ſupernus thalamo.
Salve gemens ac anima,
Cuius doloris intima:
Tranſivit enſis, impia,
Nati videns ſupplicia.
Salve Maria, præpotens,
Regina Cælo reſidens:
Inter Sanctorum lilia,
Tonantis cum ſis filia.
Gaude vale clariſſima,
Iam tuo ſponſo intima:
Quæ vivis in perpetua,
Cum Trinitate ſæcula.

HYMNUS.

Quem *S. Caſimirus princeps. (cuius feſtum in 4. Martij incidit) filius*

Regis Poloniæ Casimiri Iagellonÿ, & Reginæ Elisabethæ Austriacæ, filiæ Alberti secundi Cæsaris, & composuisse ipse fertur, & quotidiè recitare solitus fuisse, (quod ex ipso eius initio apparet) & devotione coluit, ut etiam sepeliri secum voluerit: prout anno 1604. quando sancti illius Sepulchrum renovatum fuit, capiti ipsius suppositus repertus fuit, ipseque sanctus dextro temporum ei quasi incumbere.

PARS PRIMA.

OMni die dic Mariæ,
Mea laudes anima,
Eius festa, eius gesta,
Cole devotissima.
Contemplare & mirare
Eius celsitudinem,
Dic felicem Genitricem,
Dic beatam Virginem.
Ipsam cole ut de mole
Te criminum liberet,
Hanc appella ne procella
Vitiorum superet.

Hæc perſona nobis dona
Contulit cæleſtia;
Hæc Regina, nos divina
Illuſtravit gratia.
Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginæ
Mundi, laudum cantica,
Eius bona ſemper ſona
Semper illa prædica.
Omnes mei ſenſus, ei
Perſonate gloriam,
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certe tam diſertæ
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat Hymnos
Eius excellentiæ.
Omnes laudent unde gaudent
Matrem Dei Virginem,
Nullus fingat, quod attingat
Eius celſitudinem.
Sed neceſſe (quod prodeſſe
Piis conſtat mentibus)

Ut intendam quod impendam
Me ipſius laudibus.
Quamvis ſciam quod Mariam
Nemo digne prædicet:
Tamen vanus & inſanus
Eſt qui illam reticet.
Cuius vita erudita
Diſciplina cœlica,
Argumenta & figmenta,
Deſtruxit hæretica.
Huius mores tanquam flores
Exornant Eccleſiam,
Actiones & ſermones,
Miram præſtant gratiam.
Evæ crimen nobis limen
Paradiſi clauſerat:
Hæc dum credit & obedit,
Cœli clauſtra reſerat.
Propter Evam, homo ſævam
Accepit ſententiam:
Per Mariam habet viam
Quæ ducit ad patriam.
Hæc amanda & laudanda,
Cunctis ſpecialiter:
Venerari, prædicari
Eam decet iugiter.

Ipſa donet, ut quod monet,
Natus eius, faciam:
Ut finita carnis vita,
Lætus hunc aſpiciam.

PARS SECUNDA.

O Cunctarum fœminarum,
Decus atque gloria:
Quàm electam & evectam
Scimus ſuper omnia.
Clemens audi, Tuæ laudi,
Quos inſtantes conſpicis:
Munda reos, & fac eos,
Donis dignos cœlicis.
Virga Ieſſe, ſpes oppreſſæ
Mentis, & refugium:
Decus mundi, lux profundi,
Domini ſacrarium.
Vitæ forma, morum norma,
Plenitudo gratiæ.
Dei templum & exemplum
Totius iuſtitiæ.
Virgo ſalve, per quam valvæ
Cœli patent miſeris.

Quam non flexit, nec allexit
Fraus ſerpentis veteris.
Generoſa & formoſa
David Regis filia,
Quam elegit Rex, qui regit
Et creavit omnia.
Gemma decens, roſa recens
Caſtitatis Lilium.
Caſtum chorum ad polorum,
Quæ perducis gaudium.
Actionis & ſermonis
Facultatem tribue:
Ut tuorum meritorum,
Laudes promam ſtrenue.
Opto nimis ut inprimis
Des mihi memoriam,
Ut decenter & frequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta & polluta
Mea ſciam labia.
Præſumendum nec ſilendum
Eſt de tua gloria.
Virgo gaude, omni laude
Digna & præconio.
Quæ damnatis, libertatis
Facta es occaſio.
Sem-

Semper munda & fœcunda,
Virgo tu puerpera,
Mater alma, velut palma
Florens & fructifera.
Fius flore & odore,
Recreari cupimus.
Cuius fructu nos à luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota, ſine nota
Cuiuſcunque maculæ:
Fac nos mundos & iucundos,
Te laudare ſedule.

O beata, per quam data
Nova mundo gaudia,
Et aperta, fide certa,
Regna ſunt cœleſtia.

Per te mundus lætabundus,
Novo fulget lumine:
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.

Nunc potentes ſunt egentes,
Sicut olim dixeras,
Et egeni, fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.

Per te morum nunc pravorum,
Delinquuntur devia.
Doctrinarum perversarum,
Pulsa sunt præstigia.
Mundi, luxus, atque fluxus,
Docuisti spernere,
Deum quæri, carnem teri,
Vitijs resistere.
Mentis cursum, tendi sursum
Pietatis studio.
Corpus angi motus frangi,
Pro cœlesti præmio.
Tu portasti, inter casti
Ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem,
Nos reformans pristinum,
Mater facta, sed intacta
Genuisti filium,
Regem Regum atque regum
Creatorem omnium.
Benedicta per quam victa
Mortis est versutia,
Destitutis Spe salutis
Datur indulgentia.

Benedi-

Benedictus Rex invictus:
Cuius Mater crederis:
Qui creatus ex te natus,
Nostri salus generis.

PARS TERTIA.

REparatrix, consolatrix
Desperantis animæ
A pressura, quæ ventura
Malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera,
Et da menti te poscenti,
Gratiarum munera.
Ut sim castus, & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus circumspectus,
Simultatis nescius.
Eruditus & munitus,
Divinis eloquijs,

Timo-

Timoratus & ornatus
Sacris exercitijs.
Conſtans gravis, & ſuavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus, & maturus,
Patiens & humilis.
Corde prudens, ore ſtudens,
Veritatem dicere.
Malum nolens, Deum colens,
Pio ſemper opere.
Eſto tutrix, & adiutrix
Chriſtiani populi.
Pacem præſta, ne moleſta
Nos peturbent ſæculi.
Salutaris Stella maris,
Summis digna laudibus.
Quæ præcellis, cunctis ſtellis,
Atque luminaribus.
Tua dulci prece fulci,
Supplices & refove.
Quicquid gravat, vel depravat,
Mentes noſtras, remove.
Virgo gaude, quod de fraude
Dæmonum nos liberas,
Dum in vera, & ſincera
Deum carne generas

Illiba-

Illibata & dodata,
Cœlesti progenie,
Gravidata, nec privata
Flore pudicitiæ.
Nam quod eras, perseveras,
Dum intacta generas,
Illum tractans atque lactans,
Per quem facta fueras.
Commendare me dignare,
Christo tuo filio.
Ut non cadam, sed evadam,
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam.
Contra crimen da munimen,
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget,
Sæculi cupiditas,
Quæ indurat & obscurat,
Mentes sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio,
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum,
Sua servet gratia.

Ne antiquus inimicus,
Seminet zizania.
Da levamen, & iuvamen
Tuum illis iugiter:
Tua feſta, ſive geſta,
Qui colunt alacriter.

OBLATIO.

QUis digne tibi, ô Beata Virgo MARIA, valeat gratiarum iura & laudum præconia impendere? quæ ſingulari tuo aſſenſu, mundo ſuccurriſti perdito, quos tibi hymnos, laudeſque humani generis fragilitas perſolvet? quæ tuo commercio cæleſtis paradiſi recuperandi aditum inveniſti. Suſcipe, igitur, ö Virgo ſacra, tuis dignum hoc, virtutibus, Panegyricum, quaſi exiles, meritiſque tuis impares gratiarum actiones,& cùm ſuſceperis vota,culpas noſtras orãdo excuſa, Amen.

Modus

MODUS
NOMEN, MARIA,
Literariè colendi quadruplex.

MODUS I.

Quot sunt literæ in ABC,
Tot dicas Nomini AVE.

A ugustum	§		§	N obile,
B enedictum	§	A	§	O leum effusum,
C astum	§	V	§	P otens.
D eliciosum	§	E	§	Q ualificatum,
E xcellens	§		§	R egale,
F ructuosum	§	N	§	S alutare,
G ratiosum	§	O	§	T utelare,
H onorabile	§	M	§	V irginale,
I nclytum	§	E	§	S anctum,
K irion	§		§	Y schiron,
L ætificum	§	N	§	Z abuloni,
M ellifluum	§		§	tremendum.

Si vis vivere sine Væ.
Tu cùm sis filius Evæ
Funde ore frequenter AVE
Matri, quæ liberat à Væ.

M O-

MODUS II.

EX HYMNIS

Luc: 1.

Et Nomen Virginis MARIA.

M.

MARIA Mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

A.

ALma Redemptoris Mater, quæ pervia cæli porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti.

Surgere qui curat populo: tu quæ genuiſti, natura mirante, tuum Sanctum genitorem.

Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore ſumens illud Ave, peccatorum miſerere.

R.

REgina cæli lætare,
Quia quem meruiſti portare:
Cæli & terræ Conditorem,

Verum

Verum mundi ſalvatorem:
Reſurrexit ſicut dixit, ô pia,
Ora pro nobis Deum, Alleluia.

I.

IEsu Corona Virginum,
Quem Mater illa concipit:
Quæ ſola Virgo parturit.
Hæc vota clemens accipe.
Qui paſcis inter lilia,
Septus Choreis Virginum:
Poſt te canentes curſitant,
Hymniſque Matrem prædicant.

A.

AVe Regina cælorum,
Ave Domina Angelorum:
Salve radix, ſalve porta:
Ex qua mundo lux eſt orta.
Gaude Virgo glorioſa,
Super omnes ſpecioſa:
Vale, ô valde decora,
Et pro nobis Chriſtum exora.

MODUS III.
S. IOSCIONIS
EXEMPLO.
M.
Ave Maria.

MAgnificat anima mea Dominum: & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & Sanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo; diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, &c.

A.

Ave Maria.

AD Dominum, cum tribularer, clamavi: & exaudivit me.

Domina libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam.

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderũt pacẽ eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabãt me gratis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

R.

Ave Maria.

REtribue servo tuo, vivifica me, & custudiam sermones tuos.

Revela oculos meos, & considerabo miradilia de lege tua.

Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare iu

ſtificationes tuas, in omni tempore.

Increpaſti ſuperbos, maledicti, qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſivi.

Etenim ſederunt principes, & adverſum me loquebantur: ſervus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

Nã & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

I.

Ave Maria.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Converte Domine captivitatem noſtrã, ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

A.

Ave Maria.

AD te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

Ecce ſicut oculi ſervorum, in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum DEUM noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſere noſtri Domina, quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multũ repleta eſt anima noſtra: opprobriũ abũdantibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

NOTANDUM.

Hic modus literariè colendi B. Virginem inſigni miraculo Audomaropoli, anno 1163. in cænobio S. BERTINI, approbatus. Quem cùm eiuſdem Monaſterij religioſus IOSCIO nomine, in dies recitare conſue-

vissent, Virgo gloriosa ut sibi gratissimum esse ostenderet, post mortem quinque rosis conspicuus omnibus apparuit: quarum una in ore, binæ ex oculis, reliquæ ex auribus funderentur, inscripto, singulis, vocabulo, MARIA.

MODUS IV.

S. BONAVENTURÆ.

CONTRA PESTEM Suffragium.

SUb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus: sed à periculis cunctis libera nos, Virgo gloriosa & benedicta.

ORATIO.

BEatæ, gloriosæ semperque Virginis MARIÆ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat æternam, Amen.

M.

MAgna es Domina, & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri & in universa Ecclesia electorum eius. Mi-

Misericordia tua & gratia tua ubique prædicatur: Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Miserere nostri Domina, & sana infirmitatem nostram: tolle dolorem, & angustiam cordis nostri.

Mitte Angelũ bonum in occursum nostrum, per quem ab hostibus defendamur.

Miserere nostri in die angustiæ nostræ, & in veritate irradia nos.

Miserere nostri Domina, miserere nostri, quoniã tu es spes & lux omnium sperantium in te.

Memento nostri perditorum salvatrix: exaudi planctus & suspiria nostra.

Miserere nostri Domina, & ora pro nobis: in lætitiam bonam verte mæstitiam nostram.

Miserere servorum tuorum, Domina, & ne sinas eos angustiari in tentationibus nostris.

Miserere nostri, Regina gloriæ & honoris, & omni periculo custodi vitam nostram.

Miserere nostri, Mater Salvatoris, præsta consolationem in tribulatione nostra.

Medere contritis corde, Domina ſalutis & refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

A.

AD te Domina clamabo, & exaudies me: in voce laudis tuæ lætificabis me.

Ad te clamavi, cùm anxiaretur cor meum: & exaudiſti me de monte ſancto tuo.

Amplectamur Mariæ veſtigia, peccatores: & beatis pedibus eius provoluamur.

Accedite ad eam cum reverentia & devotione: & delectetur cor noſtrum in ſalutatione illius.

A rugiẽtib9 præparatis ad eſcã de manib9 quærentiũ nos, liberati ſumus gratia illius.

Attendite populi Dei, præcepta Dei, & Reginæ cæli nolite obliviſci.

Aperite cor ad inveſtigandum eam, labia ad glorificandum illam.

Accendantur affectus cordis in illam, & inimicos noſtros induet in confuſione.

Abſtulit à corde mœſtitiã & mœrorẽ: & ſuavitate ſuà cor noſtrum dulcoravit.

Adora-

Adorate illam in decore illius: glorificate opificem pulchritudinis eius.

Adiutorio ſuo ſancto evaſimus pericula mortis, & de ſæva peſte liberati ſumus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

R.

REfugium tu es Domina, in tribulatione noſtra: & virtus potentior conterens inimicum.

Religioſi omnes honorate illam: quia ipſa eſt adiutrix, & veſtra ſpiritualis advocata.

Recurramus ad eam in tribulatione noſtra: & eripiet nos de periculis noſtris.

Recordare Domina, & loquaris pro nobis bonum: & indignationem Filij tui avertas à nobis.

Reſpice miſeriam noſtram glorioſa Virgo: anguſtiam & tribulationem ne tardes removere.

Recordare Domina pauperum & miſerorum: & ſuſtenta eos ope veſtigij ſancti tui.

Recordare noſtri Domina: & non ap-

prehendant nos mala, ſuccurre nobis in fine, & inveniemus vitam æternam.

Reſperge cor noſtrum dulcedine tua: fac nos obliviſci anguſtias huius vitæ.

Reſpice Domina humilitatem ſervorum tuorum: & ſinas eos, periculis ſubiacere.

Reple nos ſervos tuos virtutibus ſanctis: & ira Dei non appropinquet nobis.

Reſpice Domina humilitatem cordis noſtri: & libera nos de afflictione peſſima.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domina: & releva peregrinationem incolatus noſtri.

Gloria Patri, & Filio, &c.

I.

IN te Domina confido propter multitudinem miſericordiæ nominis tui.

Iudica me Domina, quoniam ab innocentia mea digreſſus ſum: ſed quia in te ſperavi, non infirmabor.

In manus tuas commendo corpus & animam meam: totam vitam & diem ultimum meum.

Immit-

Immitte nobis nobis radios tuæ pietatis, & clarifica nos fulgoribus misericordiæ tuæ.

Innova signa, & immuta mirabilia, & sentiamus adiutorium brachij tui.

Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei, quia Angelorum & hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis, & unguentis placa dolorem nostrum.

Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo, & voces gementium ne despexeris.

In manu tua, Domina, salus & vita nato annuente consistunt, lætitia sempiterna, & æternitas gloriosa.

Inveniant, quæso, gratiam, apud Deum, qui te in necessitatibus suis invocabunt.

In periculis & rebus dubijs, & in necessitatibus cunctis, invenientes adiutorium dulce.

Ipsa enim mederis contritis corde, & refoves unguento pietatis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

Sicut erat in principio, &c.

A.

AD Mariam cum tribularer clamavi, & clementiâ suâ exaudivit me.

Ad te Domina levavi animam meam in iudicio Dei mei: & precibus tuis non erubescam.

Ave gratiâ plena, Deus tecum per quam salus mundi restauratur.

Ascendisti alternantibus hymnidicis Angelorum choris, Archangelorum constipata rosis & lilijs coronata.

Ablue Domina per Filij cruorem omnia peccata nostra, sana infirmitates nostras.

Aufer à nobis tribulationem nostram, & dulcifica omnem dolorem nostrum.

Avertatur à nobis ira Dei per te: placa eum meritis & precibus tuis.

Aperiantur nobis per te portæ iustitiæ, & enarremus omnia miracula tua.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis, & per te liberemur de angustijs nostris.

Adiutorium nostrum in virtute sit nominis tui: per te omnia opera nostra dirigantur.

Ab o-

Ab omni perturbatione libera ſervos tuos: & fac eos vivere ſub pace & protectione tua.

Adorent te familiæ gentium, glorificent te omnes ordines Angelorum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon. *Pater noſter, &c.*

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei genitrix,*
℟. *Ut digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEfende, quæſumus Domine, Beata MARIA ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam: & toto corde tibi proſtratam, ab omni infirmitate & peſte, & ab omnibus tuere clementer periculis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

COMPASSIONES, *SIVE* PLANCTUS D. MATRIS GLORIOSÆ.

PLANCTUS I.

ANTIPHONA.

Non eſt dolor, ut Virginis,
Dei Matris, & hominis

STabat Mater doloroſa,
Iuxta crucem lachrymoſa:
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contriſtantem & dolentem,
Pertranſivit gladius.
O quam triſtis & afflicta,
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti?
Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat, cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo, qui non fleret
Chriſti Matrem, ſi videret
In tanto ſupplicio?

Quis non posset contristari,
  Piam Matrem contemplari:
  Dolentem cum Filio.
Pro peccatis suæ gentis,
  Vidit IESUM in tormentis:
  Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum,
  Morientem desolatum:
  Dum emisit Spiritum.
Eia Mater fons amoris,
  Me sentire vim doloris:
  Fac. ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
  In amando Christum Deum:
  Ut sibi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
  Crucifixi fige plagas
  Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
  Tam dignati pro me pati:
  Pœnas mecum divide.
Fac me vere tecum flere,
  Crucifixo condolere:
  Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare,

Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi iam non ſis amara:
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Chriſti mortem,
Paſſionis eius ſortem:
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari
Ob amorem filij.
Inflammatus & accenſus,
Per te Virgo, ſim defenſus
In die iudicij.
Fac me Cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri:
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animæ donetur
Paradiſi gloria. Amen.

℣. *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſivit.*

℟. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

ORATIO.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Iesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam, Beata Virgo Maria, Mater tua, cuius sacratissimam animam, in hora tuæ passionis, doloris gladius pertransivit. Per te Iesu Christe, Salvator mundi: qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas n sæcula sæculorum, Amen.

PLANCTUS II.

Hymnis Canonicis accommodatus.

ANTIPHONA.

Sentiant omnes tuum iuvamen, quicũque celebrant tuam sanctam compassionem.

INVITATORIUM.

VEnite Viri, & feminæ,
Ut ploremus cum Virgine:
Pervadat dolor intima,
Vultus rigando lacrymâ.
Cor ploret, ploret oculus:
Pungat amoris stimulus.

Mater carens contagio,
Dulci privatur Filio
Innocens, expers criminis,
Cadit misertus hominis.
Simus mœroris Socij,
Sumus causa supplicij.
Sit laus Virginis Filio,
Pro nobis in exilio,
Sedat tormentis asperis,
Vitam reddendo miseris.

AD MATUTINUM.

IMperatrix clementiæ, rorem infunde gratiæ: in cor meum tam aridum, ut tibi fiat placidum. Largire ut concipiam, compassionis gratiam: Flens mortem, quam Rex patitur, per quem mundus construitur. Tuus tractatur Filius, longe quàm latro vilius: Irrisus fert ludibria, gente vallatus impia. Sit laus, honor, devotio, IESU Mariæ filio: tenso Crucis patibulo, pro redimendo populo.

AD LAUDES.

O Gloriosa Domina, quæ tua crucia-mina? Cùm Christus crucifigitur, & Bar-

& Barrabas dimittitur. Paſtorem cùm percutiunt, oves diſperſæ fugiunt: Te ſola cum diſcipulo Manente ſub patibulo. Non mirum ſi ſis anxia, turbata nece impia: Te ſciens puram Virginem, ipſum Deum & hominem.

AD PRIMAM.

IEsu nate de Virgine, e myſtico ſpiramine, qui mortem crucis pateris, confoſſus clavis aſperis. O Chriſte Rex clementiæ, qui pretioſo ſanguine, Solviſti nos ab inferis, dediſti vitam miſeris. Amore Matris anxiæ, noſtræ parcas miſeriæ: Solvens à pœnis varijs, nos iunge cœli gaudijs. Sit Chriſte tibi gloria, qui mundum ad cæleſtia levâſti per martyrium, donans reis remedium.

AD TERTIAM.

NUnc Rex Creator omnium, Crucem fers in opprobrium: Quod cernens Mater anxia, doloris dat ſuſpiria. Iesu Salvator ſæculi, rivos quos fundunt oculi materni: da colligere, fac nos gratos exiſtere.

AD SEXTAM.

REctor ecce pijssimus, hinc dolor amarissimus: Ut reus crucifigitur, & cor Matris percellitur. IESU benigne respice, Mater prolis Deificæ: tua plangentes vulnera, da pietatis ubera.

AD NONAM.

RErum Deus tenax vigor, sed pœna fit acerbior: Christus in Cruce moritur, & reus non compatitur. Fac pœnam Nati plangere, laudes devotas psallere: nos Mater clementissima, hic & in cæli curia.

AD VESPERAS.

CHriste Parentis viscera, pænâ torquẽtur aspera: dum prolem quam conceperat, Flagellis lictor vulnerat. Ligatum cædunt acriter, ad sanguinem crudeliter: hinc crescunt Matris anxiæ, ploratus & angustiæ. Ad mortem, cùm perducitur, hunc Mater tristis sequitur: tundens pectus cum lachrymis, cordisq; pœnis intimis. In crucem dum extenditur, Mater

Mater videt, quòd moritur: Nullus dolor amarior, nam nulla proles charior.

AD COMPLETORIUM.

TE lucis ante terminum, te plorat, Virgo Virginum: Chriſte, Cruce deponeris, Deus humani generis. Corpus de cruce ad tumulum portatur, confeſtim eius Genitrix portantes ſic affatur: Hic ſuſtinete paululùm, ut dolorem meum plangam, & meum charum filium deoſculer, & tangam. Dilectum mihi filium ſubtrahere nolite, aſpectu donec ſatier gnati, pòſt ſepelite. Acceſſit ſic mœrens, ſupra corpus ſe iecit, ſanctum rigans vultum lachrymis madefecit. Quæſo, mihi miſero, Virginum Regina, tecum flendo, lachrymas humiles propina: fac ut ita defleam mortem tui Nati, partemque poſſideam regni reparati. Paſſio ſit mihi redemptio ſolamen, tecum ut poſt vitam æternam dicam, A.

DOLORES VII.

AD D. VIRGINEM DOLOROSAM.

SAlve dulcis Mater Christi, quæ dolebas corde tristi: te docente Simeone, de diræ mortis mucrone. Sis memor huius doloris, nunc, & in omnibus horis: fac me pie memorari, pœnam mortis tui chari.

Salve dulcis Mater Christi, quæ in Ægyptum fugisti: flens notis carebas, & labore tabescebas. Nunc, quæso, sis exilij Tui, memor, ac Filij: da te mihi, & Filium tuum; post hoc exilium.

Salve dulcis Mater Christi, quæ dolebas corde tristi: Natum requirens inclitum, tribus diebus perditum. Pro hac tua mœstitia, fac me in eius gratia: inventum per te pleniter, perseverare iugiter.

Salve dulcis Mater Christi, quæ dolens & flens vidisti: captum, vinctum, dirè cæsum, plenum probris dulcem Iesum. Huius memor tristitiæ, Mater misericordiæ: à dæmonis insidijs serva me, & opprobrijs.

Salve dulcis Mater Christi, quæ dolens & flens vidisti: Cruci nexum speciosum, Iesum factum, ut leprosum. Per dolorē hunc tam fortem, & per Nati tui mortem: in hora mortis ultima, adsis mihi charissima.

Salve dulcis Mater Christi, quæ de cruce suscepisti ulnis Iesum iam mortuum, piorum plena fletuum. Ulnis tuæ clementiæ, fove me Mater gratiæ: cum omnibus fidelibus solamina poscentibus.

Salve, quæ post mortem Christi, dolēdo sæpe vidisti cuncta loca martyrij eius, plena suspirij. Ob pœnas, quas susceperas, ista loca dum videras, da post hæc transitoria, mihi locum in gloria.

ORATIO.

IN honore nunc tantorum, cæterorumque dolorum, quos pro nato, corde tristi, Virgo, unquam pertulisti, Meam tibi miseriam committens; serva animam, semperque sis doloribus dulcis adiutrix omnibus. O clemens, ô pia, dulcis Virgo Maria.

GAUDIA VII.

Ad D. Virginem gaudiosam.

GAude Virgo Mater Christi, quæ per aurem concepisti, Gabriele nuncio.

Gaude, quia Deo plena peperisti sine pœna, cum pudoris lilio.

Gaude, quia oblatio Regum, quoque devotio exhibetur filio.

Gaude, quia tui nati, quem videbas mortem pati, fulget resurrectio.

Gaude Christo ascendente, qui in cælum te vidente, motu fertur proprio.

Gaude, quia paracletus demissus fuit cælitus, in tuo collegio.

Gaude, quæ post Christum scandis, & est honor tibi grandis, in cæli palatio.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO.

DEus, qui Beatissimam Virginem Mariam in conceptu & partu dilecti filij tui virginitate servata duplici gaudio lætifi-

lætificasti, eiusque gaudia à mortis resurgente, & ad cælos ascendente multiplicasti: tribue, quæsumus, ut ad illud ineffabile gaudium, quo tecum assumpta gaudet in cælis, eius meritis & precibus pervenire mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

CONGRATULATIONES
Ad Angelicam cælestis Regis Puerperam.

I. DE ANNUNCIATIONE.

AVe rosa sine spinis, tu quam Pater in Divinis Maiestate sublimavit, & ab omni væ servavit.

Maria stella dicta maris, tu à Nato illustraris luce clara Deitatis, qua præfulges cunctis datis.

Gratia plena te perfecit Spiritus Sanctus, dum te fecit vas Divinæ bonitatis, & totius pietatis.

Dominus tecum miro pacto, Verbo in te carnefacto, ope Trini Conditoris. O quàm dulce vas amoris.

Benedicta tu in mulieribus, hoc testa-

tur omnis tribus, cæli narrant te beatam, ſuper omnes exaltatam.

Et benedictus fructus ventris tui, quo nos ſemper dona frui, per prægustum hîc internum, & poſt mortem in æternum.

IESUS Christus ſplendor Patris, Deus ſummæ Maieſtatis, qui nos amans nos creavit ſuoque Sanguine lavit. O Mater Dei, memento mei, in agonia, ö dulcis MARIA.

II. DE CONCEPTIONE.

SAlve, Gaude benedictiſſima Dei Genitrix, Virgo ſemper MARIA, quia in tua ſanctiſſima conceptione (quando nobiliſſima anima tua corpori tuo eſt infuſa) à peccato originali divinitùs es præſervata. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, imò Sancta Trinitas poſſedit te in initio viæ tuæ, ne mali aliquid te contingeret. Dominus Pater poſſedit te per ſuam potentiam, potenter te præſervando, ne unquam filia iræ fieres, ſed filia reconciliationis ſemper eſſes. Dominus Filius poſſedit te per ſuam ſapientiam, ſapienter te gu-

bernan-

bernando, ne unquam ſub poteſtate ſathanæ, ſed ſemper contritrix capitis eius eſſes. Dominus Spiritus Sanctus poſſedit te per ſuam benignitatem, clementer te gratiâ, donis & virtutibus replendo ne vnquam ex defectu cæleſtium chariſmatum vas immunditiæ, & debitrix mortis eſſes æternæ, ſed potius inventrix omnis gratiæ, genitrix vitæ, & vena veniæ. Suſcipe à me, dulciſſima Virgo MARIA, ad honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, hoc *Pater & Ave*, vnà cum *Symbolo*, illo amore, in quo tanta bona operata eſt in te, tuaque ſanctiſſima Conceptione, ut non ſolùm ego per te petita accipere merear, ſed etiam omnes tuam ſanctiſſimam devote colentes conceptionem, per eundem, qui eſt Unus & Trinus, benedictus in ſæcula, Amen.

Pater noſter. Ave Maria. Credo.

III. DE NATIVITATE.

SAlve Mater miſericordiæ, Mater ſpei & Mater veniæ, Mater DEI & Mater gratiæ, Mater, inquam, totius gloriæ.

Nam creavit te Deus mirabilem, te respexit ancillam humilem, te quæsivit spõsam amabilem, tibi unquam fecit consimilem.

Quam felix es Virgo puerpera, nam qui sedet in Patris dextera, cælum regens & æthera intra tua se clausit viscera.

Ex quo digna es Deum parere, nemo digne potest exprimere, laudes tuas: nec satis dicere, quantum gaudes Divino munere.

Omnes Sancti, sed non sufficiunt, te beatam laudare cupiunt: nam tot laudes tibi conveniunt, quòt laudantes omnes deficiunt.

PETITIO.

O Cælestis Regis Puerpera, Unigenitum pro nobis exora: fac parati simus mortis in hora: ingredi cælum ulla sine mora. Qui nascens, se dedit in socium, convescens in edulium, qui moriens in prætium, qui regnans in præmium; eundem nobis ostendas filium benedictũ, post vitæ exilium, ubi sacrum Triadis triclinium nostrũ erit, ô MARIA, solatium.

IV. DE

IV. DE ASSUMPTIONE.

MARIA assumpta est super sydera, cælestis te laudat curia.

Maria ancilla Sanctæ Trinitatis, exaltata per decus humilitatis.

Maria sponsa Sancti Spiritus, cælis residens cunctis sublimiùs.

Maria Mater Domini Iesu Christi, placa nobis natum, quem peperisti.

Maria Seraphica Soror Cherubinorum, excelsa cunctos super choros, Angelorum.

Maria Regina Patriarcharum, promissio pariter Prophetarum.

Maria typus insignium tot fæminarum quondam, nunc magistra Evangelistarum.

Maria doctrix Apostolorum, fons & plenitudo Confessorum.

Maria confortatrix Martyrum, decus & corona Virginum:

Maria salus infirmorum & peccatorum, consolatrix vivorum & mortuorum.

Cælesti aspice nos de curia, ut æternâ tecum fruamur gloriâ.

Hoc fac, ô gloriosa Domina, excelsa polorũ super sydera, O pijssima Virgo MARIA.

V. DE

V. DE GLORIFICATIONE.

GAude flore Virginali, quæ honore speciali, transcendis splendiferum Angelorum principatum, & Sanctorum decoratum, dignitate numerum. Gaude Virgo Mater pura, certa manens & secura, quod tua gaudia per sæculorum sæcula, non cessabunt nec decrescent, sed durabunt & florescent. Gaude tantæ dignitatis, ut sis Sanctæ Trinitatis sessione proxima, ô Virgo pijssima. Gaude nexu voluntatis, & amplexu charitatis, & ad vocem consequaris, à IESU quicquid deprecaris. Eia fons pietatis, coram throno Maiestatis, dotes quas iure possides corporis, mihi simul impetres; pulchritudinẽ claritatis, promptitudinẽ agilitatis, aptitudinẽ subtilitatis, fortitudinẽ impassibilitatis: ut gaudeam post vitæ terminum in gloria tecum omne per ævum, supra me, de tua consolatione: infrà, de loci amænitate; intrà, de corporis & animæ glorificatione; iuxtà, de Angelorum hominumque associatione. Ubi est periculorum evasio, mansionum distinctio,

volun-

voluntatum unio, Divinitatis fruitio. Ubi amœnitas vernalis, candor lucis æstivalis, ubertas autumnalis, & requies hyemalis. Ubi vita sine morte, dies sine nocte, certum sine sorte, libertas sine timore, gaudium sine dolore. Ubi summa libertas, libera securitas, secura trãquillitas, trãquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, Sanctæ Triadis unitas, Divina semper Maiestas, Amen.

RECOMMENDATIONES III.

I.

Ad magnam æterni Regis MATREM.

ANTIPHONA.

Ipsa Virgo Virginum, commendat nos ad Dominum.

AVe mundi spes Maria, ave mitis, ave pia: Ave plena gratiâ, omnis boni copia.

Ave Virgo Mater Christi, tu quæ sola meruisti: esse Mater sine viro, & lactare more miro.

Ange-

Angelorum Imperatrix, peccatorum consolatrix: consolare me lugentem, ad te nunc confugientem.

Consolare peccatorem, & ne tuum des honorem, alieno aut crudeli, precor te Regina cæli.

Apud Christum tuum natum, me habeas commendatum: cui pietatis viscera, ostende pectus, & vbera.

Residens super astra poli, ô Maria Virgo noli, esse mihi aliena, gratia cælesti plena.

Esto custos cordis mei, signa me timore Dei: confer vita sanitatem, & da morum honestatem.

Da peccata me vitare, & quod bonum est amare, ô dulcedo Virginalis, non fuit, nec erit talis.

Eia rosa sine spina, peccatorum medicina: pro me Christum interpella, me salvet mortis à procella.

O Sancta Mater Dei, sis memor, oro, mei: me rursum habe commendatum, apud Christum unicum natum.

II.

II.

AD D. CÆLESTIS *REGIS SPONSAM* CATHARINAM.

Antiph: *Afferentur Reginæ virgines post eam.*

GAude Virgo Catharina, quam refecit lux Divina: ter quaternis noctibus.

Gaude, quòd tuâ doctrinâ, Philosophos à ruina traxisti, & erroribus.

Gaude, quia meruisti, confortari voce Christi: per preces Divinitùs.

Gaude, quia convertisti Sponsam Regis, & vidisti, rotas fractas cælitùs.

Gaude sertis coronata, & in Sina venerata olei stillamine.

Esto nobis Advocata, apud Deum Virgo grata, in nostro certamine.

℣. *Ora pro nobis Sancta Catharina.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS.

DEus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Synai, & in eodem loco corpus Beatæ Catharinæ, Virginis & Martyris tuæ, per Sanctos Angelos tuos mirabiliter collocasti: præsta, quæsumus, ut eius meritis & intercessione, ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus. Per eundem Christum Dominũ nostrum, Amen.

III.

AD D. BARBARAM

DIVÆ VIRGINIS.

Alumnam.

ANTIPHONA.

Proxima eius afferetur illi in lætitia & exultatione.

AVe Martyr gloriosa, Barbaraque generosa: Paradisi vernans rosa, castitatis lilium.

Ave Virgo pulchra tota, charitatis fonte lota: dulcis, mitis, & devota, vas virtutum omnium.

Ave

Ave criminis ignara, Sponſum audis voce clara: veni pulchra veni chara, veni coronaberis.

Ave Barbara ſerena, pulchra quaſi luna plena: ſingulari cantilena, Sponſum Agnum ſequeris.

Ave Barbara beata, quæ cum Sponſo præparata: nuptiarum adoptata, introiſti gaudia.

Ave fulgens margarita, in corona Ieſu ſita: tam in morte, quàm in vita, ſis nobis propitia, Amen.

℣. *Ora pro nobis Sancta Barbara.*
℞. *Ut digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*

OREMUS.

OStende nobis, quæſumus Domine, tuæ pietatis miſericordiam, quam in Sancta Virgine & Martyre tua Barbara, pie & miſericorditer oſtendiſti, ut ipſius precibus & meritis à ſubitanea & improviſa morte liberemur, & ante diem & horam exitus noſtri tui ſacratiſſimi Corporis & Sanguinis ſacræque Unctionis

Sacramentis salubrirer perfruamur, eaq; intercedente ab omni hostium incursu protegamur, & ad te pia devotione & lætitia perducamur. Per Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

REFUGIUM PECCATORIS.

PSALMI SEPTEM PÆNITENTIS.

Tibi peccavi, ô Deus, in cælum, soli; Me prodigum, Genitricis ope, spernere noli.

PSALMUS I.

DOmina ne in furore Dei sinas me corripi: neque in ira eius iudicari.

Propter honorem nominis tui Domina propitietur nobis fructus gloriosus ventris tui.

De porta inferni, & de ventre abyssi: tuis

tuis Sanctis precibus libera nos.

Aperiantur nobis ianuæ sempiternæ: ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Quia neque mortui, neque qui in inferno sunt laudabunt te Domina: sed qui tua gratia vitam æternam possidebunt.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS II.

BEati quorum corda te diligunt Virgo beata: peccata ipsorum per te intercedendo, misericorditer diluentur.

Sancta casta & florida viscera tua: quæ florem viriditatis perpetuæ conceperunt.

Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit: & vultus tui gratia in perpetuum non marcescet.

Benedicta tu Virga Iesse sublimis: quæ te usq; ad sedentem in throno, & Maiestatis Dominum dilatasti.

O Virgo Regina semita es & via: per quam nos salus de supernis sedibus visitavit.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS III.

DOmina ne in furore ſuo arguat me Dominus: mihi veniam obtine de peccatis.

In conſpectu tuo ſit omne deſiderium meum: ſpes mea & confidentia mea.

Cor meum conturbatum eſt in me: receſſit lux de viſceribus meis.

Illumina ſplendore tuo cæcitatem meam: dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Ne derelinquas me Domina Mater DEI: gratia tua & virtus ſit à dextris meis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS IV.

MIſerere mei Domina: quæ Mater miſericordiæ nuncuparis.

Et ſecundum viſcera miſericordiarum tuarum: mūda me ab iniquitatibus meis.

Effunde gratiam tuam ſuper me: & ſolitam clementiam tuam ne ſubtrahas à me.

Quoniam peccata mea confitebor tibi: & co-

& coram te me accuſo de ſceleribus meis.
Fructui ventris tui me reconcilia: & pacifica me ei qui me creavit.
Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS V.

DOmina exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.
Non avertas ſacrum aſpectum tuum à me: neque abomineris me propter immunditiam meam.
Ne derelinquas me cogitatu & conſilio inimicorum meorum: & ne ſinas me cadere in exprobratione illorum peſſima.
Qui confidunt in te non timebunt colubrum tortuoſum: & qui exaltant te præconijs evadent manus Acherontis.
Per Virginalem conceptum tuum, da mihi in te confidentiam bonam: & per admirabilem partum tuum lætifica animam meam.
Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS VI.

DE profundis clamavi ad te Domina: Domina exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocē laudis & glorificationis tuæ.

Libera me de manu adverſariorum: confunde, & diſſipa ingenia, & conatus eorum contra me.

Erue me in die mala: & in die mortis ne obliviſcaris animæ meæ.

Deduc me ad portum ſalutis: & inter iuſtos ſcribatur nomen meum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS VII.

DOmina exaudi orationē meam: percipe tuis auribus ſupplicationem meam.

Perſequutus eſt malignus vitam meam: depoſuit in terra converſationem meam.

Denigravit me caligine ſua: & anxiatus eſt nimis ſpiritus meus.

Ne avertas faciem tuam à me: ut non corruam cum deſcendentibus in lacum.

Emitte lucem tuam, & gratiam tuam: & repara denuò vitam & conſcientiam meam.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Inter-

Intercessio.

SAncta Maria, Mater gratiæ, Mater veniæ, quæsumus, ne reminiscaris delicta nostra, vel parentum nostrorum, quibus Divinam offendimus Maiestatem, & ne filius tuus vindictam sumat de peccatis nostris: eundem, ô Mater misericordiæ, culpas nostras excusando, placatum redde, & advocatæ officium semper exerce, Amen.

ORATIO

CONFITENTIS.

MAter Sancta, Hera, ac Domina nostra MARIA, Virgo mirandæ pietatis, clementiæ & misericordiæ. Nonne Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, genuisti? nonne is, qui non iustos, sed peccatores, propter quos hunc in mundum venit, tuus est Filius? Venite ad me, ait, omnes qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos: venite, & invenietis requiem animabus vestris. O vox dulcis in auribus peccatoris, qui delictorũ pondere pressus, oculos ad cælum attol-

lere, & conſcientiæ vulnere ſaucius in conſpectu filij comparere haud facilè præſumeret; niſi noſtrum omniũ peccatorũ eſſes refugium. Ad te, ergo, talis tantuſque peccator cordis dolore gravatus, miſerijſque plenus recurro, ad te ſanandus feſtino, vulnera mea oſtendo, tibi verecundiam meam detego, Salvatorem, quem iudicem ſuſtinere nequeo, placatum habere cupio. At, qui peccatis undique repletus, tibique tantopere diſſimilis, ad te confugere audeam? unum me ſolatur, quòd propter peccatores facta es Mater Dei, Divinarum diſpenſatrix gratiarum? nec gratis ſuper Angelorum choros exaltata? ut peccatores, quoſcunq; ad te redeuntes, manu pia recipias: Filio tradas, præſentes ac reconcilies. Itaque Mater, peccatorum refugium, me ad te confugientem, atq; de tua miſericordia minus diffidentem, ſuſcipe; pro me advocatæ officium exerce, & quidquid confeſſionis meæ contritioni ac integritati deſit, clementer reſtaurando effice, ut te mediante, mea delicta, & gratia filij me præveniat ſemper, & ſequatur, ut hic

devote

devote laudes tuas cantem, & in futuro te glorificem per æterna sæcula, Amen.

ORATIO
COMMUNICANTIS.

AD te nunc Mater misericordiæ confugio, ut per te, Filio tuo, rite confessus, & præsenter, & reconcilier, quatenus ad ipsius gloriam meamq; salutem, corpus hoc idem sacratissimum, quod in utero virginali assumere, de Spiritu Sancto concipere, & gloriosè portare meruisti, humiliter, reverenter, pie & devotè percipere possim, eiusq; ex præsentia omnem virtutem, omnem consolationem, gratiam, omneque bonum anima mea sentiam, nihilque in corde resideat amplius, quod Divinam eius Maiestatem, virgineosque tuos oculos offendere posset. Ego quidem indignus, qui hac Angelorum esca reficiar, vel in filij tui conspectu compaream, cum peccata mea sint gravia & copiosa nimis, quibus Redemptorem meum ad iram concitavi, dum sensuum voluptates, mundique illie ebras magis, quam Creatorem meum secutus,

ac dile-

ac dilexi. En gemit anima mea peccatrix, ô peccatorum miseratrix, quæ nulli misericordiam petenti denegas; rogando, me purificandum ad misericordiæ fontem ducas; ut is, sicut Sanctum Petrum post lapsum gravem, Mariam Magdalenam peccatricem, & latronem â dextris pendentem suscepit: me pariter pœnitentem, ad Sancta Sanctorum accedentem, benigne suscipere, susceptum renovare, renovatum mente & corpore in omni bono stabilire, confirmare; confirmatum hîc in gratia, ibi in gloria prorsus me sibi vniri dignetur filius tuus pro me passus, crucifixus, ac mortuus, à cujus divini amoris complexu, & cordis transfixi dulcedine quis me unquam separabit?

ORATIO.

GRATIAS AGENTIS.

ME tibi Serenissima Virgo MARIA supplex commendo, & precor, ut apud filium, quem in sacratissimo vtero tuo de Spiritu Sancto conceptum, digne porta-

portaſti, intercedere; ſi qua in ſummi Sacramenti huius ſumptione deliquerim, eundemque tali ut par eſt, puritate corporis & animæ, tali contritione devotione ac reverentia, tali propoſito, charitate ac gratiarum actione non ſuſceperim, negligētiæ, omiſſionis & indignitatis meæ veniam mihi impetrare digneris: quæ ſemper caſta, pura, ſancta, innocens fuiſti, poſt Filium conceptum, caſtior, putior, ſanctior, Deoque gratior, evaſiſti. Utinam ita ſanctificer, ut corpore & mente caſtior, purior, ſanctior, & ab omni lethalis peccati macula immunis hac Divini Sacramenti perceptione conſervari merear. Tu concepto filio, magnificas laudes Domino læta decantaſti, & in Deo ſalutari tuo mirabiliter exultaſti; ô ſi authoritate tua materna, precibuſque id aſſequar Virgo ſancta, ut ex hac communione ſacroſancta novum cor, Spiritumque ardentem concipiam, conceptum ita foveam, ut Redemptori meo, ac hoſpiti tanto, nunquam ingratum ſed in omnibus tentationibus me fidum exhibeam, pro beneficijs in gratiarum actione per-

ne perſeverem, ab huius laude, qui maior omni laude, nunquam ceſſem. ſalvifaca tandem huius venerabilis Sacramenti virtute fretus, Chriſtum cordis mei hoſpitem, digne ſalutando excipere valeam.

ANima Chriſti ſanctifica me: Corpus Chriſti ſalva me: Sanguis Chriſti inebria me: Aqua lateris Chriſti lava me: Sudor vultus Chriſti munda me: Paſſio Chriſti conforta me. O Bone IESU, exaudi me: intra vulnera tua abſconde me: ne permittas me ſeparari à te: ab hoſte maligno defende me: in hora mortis meæ voca me: & iube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad ſuſceptum Virginis filium.

CHriſte fili ſummi Patris, per amorem tuæ Matris: cuius venter te portavit, & prædulci lacte pavit. Te per ipſam rogo ſupplex, quia tu es ſalus duplex.

Salve rerum mundanarum, atque ſalus ani-

lus animarum: te nunc precor, licet reus, miserere mei Deus, miserere Christe mei, miserere fili Dei.

Miserere miserator, quia vere sum peccator, tu peccata dele mea, & cor mundum in me crea. Da spem firmam, fidem rectam, charitatemque perfectam.

O IESU da finem bonum, quod est super omne donum, vt in corde sic compungar, tibi Christe, quo coniungar. Fac me digne manducare, corpus tuum salutare.

Ira tua non gravet, sangvis tuus sic me lavet: in sensibus & in corde, à peccatis & à sorde, vt dum instat hora mortis, Angelus tuus adstet fortis.

A te mihi datus custos, qui me locet inter iustos: Mors si carnem meam frangat, Mors secunda non me tangat, licet caro computrescat, spiritus in te quiescat.

Ut dum surgam te visurus, semper tecum sim mansurus: à te nunquam recessurus, & te semper laudaturus.

Audi nos Virgo MARIA, salva nos Clientes Messia, pro quibus te Mater orat, & te iure semper honorat.

STATI

STATIONES
VII. DIVINÆ.
QUAS
BEATISSIMA VIRGO

Post Filij Ascensum, & mente, & corpore visitare solebat.

STATIO PRIMA.

In Bethle-em de	Nativitate,	1
	Circumcisione,	2
	Tribus Regibus,	3
	Lactatione,	4
	Incunabulis,	5

STATIO SECUNDA.

Ad Iorda-num, de	Baptismo Christi,	1
	Voce, Patris cælestis,	2
	Ieiunio Sancto,	3
	Vocatione Apost.	4
	Transfigur: Domini	5

STA-

STATIO TERTIA.

	Capitis unctione,	1
	Pœnitentia S. Magdalenæ,	2
In Betha-	Reſuſcitatione Lazari,	3
nia, de	Hoſpitio Chriſti,	4
	Electione melioris partis.	5

STATIO QUARTA.

	Lotione pedum,	1
	SS. Euchariſtia,	2
In Monte	Sermone conſolatorio ad	
Syon, de	Apoſtolos,	3
	Reſurrectione,	4
	Spiritu Sancto.	5

STATIO QUINTA.

	Voluntate Patris,	1
In Monte	Sudore Sanguineo,	2
Oliveti, de	Captivitate Chriſti,	3
	Aſcenſione Domini,	4
	Extremo die iudicij.	5

STATIO SEXTA.

	Anna,	1
	Caipha,	2
Hieroſoly-	Pilato,	3
mis, de	Herode,	4
	Flagris & Corona.	5

STATIO SEPTIMA.

	Baiulatione Crucis,	1
In Monte	Vestium denudatione.	2
Calvariæ,	Crucis affixione,	3
de	Oblatione Spiritus,	4
	Sepultura.	5

GEMITUS VII.

VIATORIS,

Ad misericordiæ Matrem.

GEMITUS I.

MUNDI MALITIA.

O Maria, sis mecum in via.

IN hoc mundo bonum vix facimus, & à malis nunquam quiescimus, & sic vitam & tempus perdimus, in te tamen semper confidimus.

Mundus plenus figmentis luteis, nos diversis pungit aculeis: sed salva nos ab eius laqueis, tu beata, quæ semper subvehis.

Et in

Et in mundo deficit veritas, pax & amor, fides & æquitas, & abundat fraus & iniquitas; ſed apud te eſt omnis bonitas.

Vita præſens eſt vapor modicus umbra, ventus, ſomnus, phantaſticus, flos, favilla, decor ſophiſticus, pugna, curſus, aſcenſus lubricus,

Sic in mundo vana ſunt omnia, & ſaluti ſemper contraria, & ideò tu plena gratia, de ſupernis mitte ſolatia.

GEMITUS II.

CARNIS LASCIVIA.

Nos, carnis ab illecebris, eripe Virgo fidelis.

NOs carnis horremus putredinem, hoſtis fraudem & blanditiem, ſuper vitæ amaritudinem; imploramus tuam dulcedinem.

Et quia nos vexat continue, ab eadem nos Mater erue: pro nobis orans aſſidue corpuſque caſtum nobis tribue.

In hac vita ſic miſerabili, ſic amara caduca, labili, vita nequam, & plena nihili,

hili, in carne hac perfragili.

Carnis quoties lascivia, magna nobis est miseria, nos compellit ire ad devia, nec timemus Deum, tu sis prævia.

Ne igitur hæc vita funebris, annexa peccati tenebris, nos corrumpat carnis illecebris, conserva nos, Regina celebris.

GEMITUS III.

DÆMONIS SÆVITIA.

Heu? quanta hostis furia;
Sis nobis, Virgo, Victoria,

NOs etiam servi nequissimi, hic timemus ab hoste perimi: Sed tu sponsa regis altissimi, non permittas nos tantum deprimi.

In hac vita omnes communiter, impugnamur ab hoste fortiter: & interdum vincimur turpiter: sed iuva nos misericorditer.

Ecce Mater hostes tartarei, prodeuntes ab ore putei, vitam claudunt regni syderei, nec permittunt nos sursum provehi.

Virgo dulcis, & summe sapiens, pietatis fons

tis fons indeficiens, servis tuis esto compatiens, quos impugnat hostis percutiens.

Pia Mater respice filios, inter hostes, pugnantes, impios: irruentes repelle gladios, & Sanctorum fac esse socios.

GEMITUS IV.
MORTIS HORA.

O Virgo Maria, sis mecum in agonia.

NOs timemus horam novissimam, diem mortis & horam ultimam, quia læsam habemus animam: sed da nobis spem firmissimam.

Author vitæ nos mori voluit, & pro nobis mortem sustinuit, ipse in morte pavit & timuit, cuius timor nos multùm terruit.

Viam mortis omnes ingredimur, & postea nunquam regredimur, ex quo magis timore premimur, per te tamen in spem erigimur.

Nos in mundo nascendo viriliter, & vivendo miserabiliter, festinamus ad mortem iugiter, in te tamen speramus firmiter.

Et revera viles & miſeri, qui vix nati, cogimur conteri, efficimur ſimiles pulveri, properantes ad portas inferi.

GEMITUS V.

PURGATORII PÆNA.

Miſero in purgatorio, Matris iuvet compaſsio.

CLavis David, quæ cælum aperis, nunc beata, ſuccurre miſeris, qui tormentis torquentur aſperis, educ eos de domo carceris.

Languentibus in purgatorio, qui purgantur dolore nimio, & torquentur ſine remedio, ſubveniat tua compaſſio.

O fons patens, qui culpas abluis omnes lavas & nullum deſpicis, manum tuam extende mortuis, qui ſub pœnis languent continuis.

Benedicta per tua merita, te rogamus mortuos adiuva, & deprecans eorum debita ad requiem ſis eis ſemita.

Ergo ad te ſuſpirant mortui, cupientes de pœnis erui, & adeſſe tuo conſpectui, & gaudijs æternis perfrui.

GEMITUS VI.

IUDICIUM.

Iudex iuste, cum pia, salva nos, Matre MARIA.

IN tremendo DEI iudicio, quando fiet stricta discussio, tunc etiam supplica filio, ut sit nobis cum Sanctis portio.

Dies illa dies terribilis, dies mali intolerabilis, sed tu mater semper amabilis, fac, sit nobis iudex placabilis,

Illa die tantus servabitur rigor, quod vix iustus salvabitur, nemo reus iustificabitur, sed singulis ius suum dabitur.

Tunc iratus iudex adveniet, singulorum casus discutiet, personamq; nullam accipiet, sed singulis iuste definiet.

Summi Regis Mater & Filia, cuius nulla par est gloria, tua, Mater, dulcis clementia, sit tunc, & nunc, nobis propitia.

GEMITUS VII.

PRŒMIUM.

Christus, qui malis in supplicium, ô Maria sit nobis in præmium.

HOrrendum est illud iudicium, quando nullum erit refugium: sed qui-

libet pœnam vel prœmium ſuſcipiet, nec hoc eſt dubium.

Iuſtus iudex dando ſententiam, non faciet iuſtis iniuriam, nec iniuſtis faciet gratiam, ſed tenebit ſtrictam iuſtitiam.

Et ideò nunc coram iudice, pro tremulis te ipſam obijce, opus bonum in nobis perfice, ut nobiſcum agat pacifice.

Nunc igitur Mater accelera, pietatis oſtende viſcera, nato pectus offer & ubera, & pro nobis tu victrix ſupera.

Ieſu Mater ſummæ clementiæ, ſummæ laudis & excellentiæ, ſta pro nobis in cælis hodie, ut nos tecum fruamur requie.

EPILOGUS.

SICCINE VIVITUR?

VÆ mihi naſcenti, Væ nato,
Væ morienti;
Væ mihi, quod ſine Væ, non vivit
filius Adæ.

ERGO.

CUr mundus militat, Sub vana gloria,
Cuius proſperitas eſt tranſitoria.
Tam citò labitur eius potentia, Quàm
vaſa figuli quæ ſunt fragilia. Plùs

Plùs crede literis ſcriptis in glacie; Quàm mundi fragilis vanæ fallaciæ; Fallax in præmijs virtutis ſpecie, Qui nunquam habuit tempus fiduciæ.

Credendum magis eſt viris fallacibus, Quàm mundi miſeris proſperitatibus, Falſis in ſomnijs & vanitatibus, Falſiſq; ſtudijs & vanitatibus.

Dic ubi Salomon olim tam nobilis? Vel ubi Samſon eſt dux invincibilis? Vel pulcher Abſolon vultu mirabilis? Vel dulcis Ionathas, multum amabilis?

Quo Cæſar abijt celſus imperio? Vel dives Epulo totus in prandio? Dic ubi Tullius clarus eloquio? Vel Ariſtoteles ſummus ingenio?

Tot clari proceres, tot rerum ſpàtia, Tot ora præſulum, tot regna fortia, Tot mundi principes, tanta potentia? In ictu oculi, clauduntur omnia.

Quàm breve feſtum eſt hæc mundi gloria; Ut umbra hominis ſunt eius gaudia, Quæ ſemper ſubtrahunt æterna præmia, Et ducunt hominem ad dura devia.

O eſca vermium, ô maſſa pulveris? O

vox ô vanitas cur ſic extolleris? Ignorans penitus utrum cras vixeris? Fac bonum omnibus quamdiu poteris.

Hæc carnis gloria quæ magni penditur, Sacris in literis flos fæni dicitur, Vt leve folium quod vento rapitur, Sic vita hominis, hæc vita tollitur.

Nil tuum dixeris, quod potes perdere, Quod mundus tribuit intendit rapere; Superna cogita, cor ſit in æthere. Felix qui potuit mundum contemnere.

Hæc B. Iacoponus, Mundi fallaciam ſic deplorans.

GRATIARUM ACTIO
AD B. VIRGINEM,
Viæ ac Vitæ Comitem.

TE Matrem Dei laudamus, te MARIAM Virginem confitemur.

Te æterni Patris Sponſam: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli & univerſæ poteſtates.

Tibi Cherubin, & Seraphin: incessabili voce proclamant.

Sancta MARIA, Sancta DEI Genitrix.

Sancta Virgo Virginum: tecum est Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cæli, & terra Maiestatis gloriæ Filij tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus, laudat exercitus.

Te per orbem terrarum: sancta confitetur Ecclesia.

Matrem Salvatoris Dei immensæ Maiestatis.

Venerandum, quæ concepisti Dei verum: & unicum filium.

Sancto obumbrata paraclito Spiritu.

Tu parens Regis gloriæ Christi.

Tu Mater eius: qui Patris sempiternus est filius.

Tu ad liberandum hominem peperisti Dominum; qui non horruit Virginis uterum.

Ex te Virgine natus, devicto mortis

aculeo: aperuit credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Filij tui ſedes in gloria Patris.

Filius tuus eſt Chriſtus: qui iudex creditur eſſe venturus.

Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni: quos idem Filius tuus pretioſo ſanguine redemit.

Æterna fac cum Sanctis Dei, precibus tuis gloria munerari.

Salvum faciat, ora, populum ſuum IEsus: & benedicat hæreditati ſuæ.

Et regat nos Salvator mundi: & extollat uſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare dulcis MARIA die iſto: ſine peccato nos gratia Dei cuſtodire.

Miſerere noſtri pia: ora pro nobis Virgo Maria.

Fiat per te miſericodia Dei ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domina ſperavi, ora pro me: ut non confundar in æternum.

G R A T E S.

SIt tibi laus, honor & gloria, ô fidelis Virgo MARIA, pro æterna bonitate erga Clientes, quod per viam à periculis, illæsi, ab hostium tam visibilium, quàm invisibilium, insidijs & adversitatibus, te duce, simus custoditi, ac conservati. Viam vitæ ulterioris nostræ quæsumus, in salutis prosperitate ita dispone; ut inter omnes viæ & vitæ huius varietates, sic transeamus per terrena, ne amittamus cœlestia; vera, ubi sunt gaudia, ibi nostra fixa sint corda, atque tuo tam diu protegamur auxilio, usque dum ad beatitudinis æternæ patriam, portumque salutis, exules pertingere mereamur.

Hoc fac, hoc effice tuo interventu
potentissimo apud filium tuum,
qui tecum est benedictus,
laudabilis, gloriosus,
& superexaltatus
in sæcula,
Amen.

FINA-

FINALES, DE MAGNÆ MATRIS SPONSO,

Ac IESULI Incarnati Nutritio, Tutore, Coadiutore Palæſtino.

S. IOSEPHO, LITANIÆ.

Antiph: *Ioſeph, fili David, noli timere accipere Mariam Coniugem tuam: quod enim in ea natum, de Spiritu Sancto eſt.*

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere.
Sancta Maria Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Maria Virgo Virginum, Ora.

Sancta

Sancta Maria Sponſa Ioſeph,	Ora.
Sancte Ioſeph Pater Chriſti.	Ora.
Patriarcha nobiliſſime,	Ora.
Tutor Filij Dei,	Ora.
Servator panis vitæ,	Ora.
Nutritor Curatoris,	Ora.
Suſtentator veri Suſtentatoris,	Ora.
Cuſtos Reginæ Angelorum,	Ora.
Vir Imperatricis Cælorum:	Ora.
Teſtis Virginis Mariæ,	Ora.
Sponſe Matris Chriſti,	Ora.
Solatium Genitricis Dei,	Ora.
Dilecte Matri,	Ora.
Coadiutor Reginæ Virginum,	Ora.
Vir timens Deum,	Ora.
Vir ſecundum cor Dei,	Ora.
Vir provide & patiens,	Ora.
Vir ſapiens & miſericors,	Ora.
Vir puriſſime,	Ora.
Speculum munditiæ,	Ora.
Dilecte Deo & hominibus,	Ora.
Sancte & ſanctificate,	Ora.
Decus Cæli,	Ora.
Reclinatorium Chriſti,	Ora.
Refrigerium pueri Ieſu,	Ora.
Solatium Filij Dei,	Ora.

Primi-

Primicerie Domus Dei, Orapro nobis.
O Sancte Ioſeph, Eſto nobis propitius.
Ab omni peccato, Defende nos ſupplices.
A mentis cæcitate, Defende nos ſupplices.
A diſcordia & impatientia, Defende nos ſupplices.
A peſte, fame, & bello, Defende nos ſupplices.
A morte ſubitanea, Defende nos ſupplices.
A morte perpetua, Defende nos ſupplices.
Per dolorem illum, quem habuiſti, quãdo voluiſti dimittere tuam Sanctiſſimã Sponſam, Defende nos ſupplices.
Per dolorem illum, quem habuiſti, quando illa Bethlehem deducta, in tali tibi locanda fuit diverſorio, Defende nos ſupplices.
Per dolorem, quem habuiſti, cum in oblatione verba illius Simeonis audiſti, tuam ipſius animam tranſivit gladius, Defende nos ſupplices.
Per dolorem, quem in exilio habuiſti, Defende nos ſupplices.
Per dolorem, quem tibi incuſſit timor

Arche-

In Momum Mariomaſtygen.

NOſtri temporis Novatores animo ferunt iniquiſſimo, quod ſacroſanctam Virginem Deiparam: nunc Spem unicam peccatorum, cum *a.* Auguſtino: nunc cum *b.* Nazianzeno, gaudium mortalium: nunc gloriæ noſtræ præmium, cum *c.* Hildephonſo: nunc ſexcentis alijs honorum titulis unâ cum cæteris Eccleſiæ Patribus compellemus; Chriſto ſoli generis humani Servatori nos iniuriam facere, contendentes. Quaſi vero neſcimus rectam illam Theologorum Regulam, qua veriſſime traditur *d.* multa nomina proprie, & per eſſentiam, ſive per excellentiam Divinis perſonis competere, quæ ſecundariò ac minùs principaliter & ſecundum gratiam, aut per participationem Sanctis, imò & aliquando Credentibus rite attribuantur. Teſtis nobis erit S. Paulus (gloriæ Chriſti vindex acerrimus) qui & *e.* Philipenſes & *f.* Theſſalonicenſes, Spem ſuam, Gaudium & Coronā gloriæ, nuncupant. Quāobrem deſinant Mariomaſtiges nos Ma-

riam dignis proſequentes encomijs, perverſe calumniari, atque eandem, non tantùm D. Virginem, ſed etiam omnes Sanctos nobiſcum ſtudioſe colant, S. Auguſtino exoptante: *g.* Utinam, inquit, & vos illos colere velletis: facile enim ab eis diſceretis, non illos colere ut Deos, ſed, ut Sanctos. Hæc feneſtella Momi eſto; hic cor noſtrum, hic animus. Vale pie orator, & vive.

a. Auguſt: ſerm: 2. de Annun: qui eſt 118. de temp: cap: 10. b. *Gregorius Nazianzenus tracta: de Chriſto pat:* c. *Hildeph: cap: 12. de Virgine S. Maria.* d. *Regula Theolog: de qua vide P. Caniſium cap: 12. 13. & 16. lib: 5. Mariani.* e. *Philip: 4. verſu 1.* f. *1. Theſſa: 2. verſu 20.* g. *Auguſt: in Pſalm: 96.*

I N D E X
L I B E L L I
MARIANI.

In parte priori Litaniæ X. de B. Virgine, quibus annexæ sunt & de Nomine IESU, *cum Cantico glorioso.*

****

Ordo Titulorum Libelli Sororij.

INDEX.

FINIS.

